This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

305. a.
17.

600093742V

DE CORRUPTA

POST CICERONEM

ELOQUENTIA

E TYPIS CH. LAHURE
(OLIM CRAPELET)
via dicta Vaugirard, 9, juxta Odeum

DE CORRUPTA

POST CICERONEM

A DECLAMATORIBUS ELOQUENTIA

APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM DISSEREBAT

A. CHASSANG

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS
IN LYCÆO BITURIGUM RHETORICES PROFESSOR

PARIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 5

1852

305. a. 17.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

A. POIRSON

IN MEMORIAM DECEM ANNORUM IN LYCÆO CAROLI MAGNI
EJUS AUSPICIIS ACTORUM

GRATUS OFFEREBAT

A. CHASSANG

DE CORRUPTA

POST CICERONEM

A DECLAMATORIBUS ELOQUENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De studio eloquentiæ apud Romanos ad Ciceronem usque.

Clari illi oratores, quorum memoriam relegit ac tradidit posteris M. Tullii *ad Brutum* liber, et ingenio et arte nitebantur : aut, si cui minus suppeteret disciplina, is divite quadam et excellenti natura fretus se vel rudem sæpe altius efferebat; si cui minus felices insitæ essent dotes, tamen ille sterilitatem ingenii compensabat aliquando largo studiorum proventu. Summus enim quisque duplici naturæ artisque ope exstabat orator; at quosdam fuisse, et egregios quidem, quos alterutra tantum juvaret, quis miretur? alii eorum, viri graves, absque magistris meditatione assidua instituti, agendo seriasque res quotidie pertractando informati, haud

1.

contemnendam eloquentiam, quamvis nec cultam nec limatam, assequebantur : alios, qui per se haud tantum pollebant, quibus opus erat ad erudiendum animum magistris, ad ornandum disciplina, ad corroborandum longa exercitatione, ars faciebat disertos. Quum autem apud Græcos, tum apud Romanos artem omnem antevenit ipsa eloquentia; quæ tamen maximum arte cepit incrementum. Nam dubitari potest an sine arte ad tantum usque famæ fastigium provecti fuissent duo illi eloquentiæ principes, Demosthenes et M. Tullius.

Num vero, quum egregii jam essent natura, e rhetoricis demum officinis tam excelsi, tantum super omnes alios elati evaserunt? Interrogemus Tullium, optimum sane ejus causæ arbitrum ac disceptatorem; at quem Tullium? Non eum, qui modesto nimis ac timido usus consilio, commentariolos juveniles excutit, tantum non prætextatus; verum grandem illum consularem, omni laudum genere ornatum, omni experientia imbutum, et artis ejus leges, quas vel ipsis exemplis docuit, optimis et saluberrimis præceptis docentem.

Hæc enim est ars illa, quæ, nisi natura deficiat, viros præstare potest, non disertos modo, sed eloquentes; quæ quidem longe abhorret a tenui ista et levi rhetorum doctrina, nihil aliud comparante, quam inanem verborum supellectilem, nihil aliud curante quam argutias et suspiciosam facundiam. Sensit autem præstantissimus ille orator, qualis esset, talem se non innumeris, quæ mira rhetorum subtilitate congesta erant, eloquendi artificiis, sed philosophiæ documentis, historiarum scientia,

longo rerum usu factum esse : sensit se, quidquid esset, adeo non ab arte, quæ juveniles annos exercuerat, omnia mutuatum, ut contra exagitata et discussa arte illa, major ac potentior excessisset. Haud aliter constat Demosthenem non tam ex Isæi schola, quam ex auditione Platonis, Thucydidis assidua lectione, meditatione perpetua, quotidiana experientia eum exstitisse, quem omnes omni ætate oratores principem suum faterentur.

Quamdiu Athenis et Romæ viguit libertas, quamdiu umbratiles rhetorum ludos exceperunt apertæ contentiones Agoræ et Fori, ars intra legitimos se tenuit terminos; et quum manerent sua veræ eloquentiæ proposita præmia, sincera mansit et ipsa eloquentia. Quotus enim quisque, quum res maximi momenti agerentur, et nonnisi prudentia summa, summa diligentia, ingenti industria, continua negotiorum tractatione ullus esset ad honores aditus, omnia hæc neglexisset, ut otiosus scholasticas nugas amplexaretur? Verum ubi dissidiis pessumdata est respublica, ubi Atheniensium in Philippi et Alexandri *regnum*, Romanorum in *principatum* Augusti cessit antiqua et turbulenta libertas, tum demum eloquentia aut nulla aut deterior facta est, ac pro forensi disciplina stetit ars rhetorum. Quid tum de Græca eloquentia factum sit, alii viderint : satis erit memorare Isocratem illum, Demosthene vel natu majorem, qui quum intra parietes, quamdiu vixisset, se continuisset, nunc quindecim annos poliendis *Panegyrici* sui clausulis impenderet; nunc laudes *Helenæ* ac *Busiridis* vel tantulam aliquam rem curiosa oratione persequeretur. Id unum quærere nostra mens est; qua et quam celeri inclinatione

Romanorum eloquentia, ubi forensi luce et quotidiana contentione destituta est, in nescio quam garrulam infantiam, nescio quod nudorum verborum aucupium deciderit; unde penitus immutata sit Latina oratio, et delicatum quoddam atque operosum dicendi genus, contempta Ciceronis facundia, omnes et oratores et philosophos et poetas in posterum infecerit.

Haud sine jure dici potest, ut Demosthenem olim, sic M. Tullium et primum ingenio et tempore postremum exstitisse civitatis suæ oratorem : post quem exstinctum vix unus et alter oratoris nomen affectant, famam non assequuntur. Nullæ apud populum conciones habentur, non ita multæ apud senatum orationes. Quidquid superest eloquentiæ, circa *triumviros* aut *centumviros* versatur. Floret tamen, ut quum maxime, eloquentiæ studium. Scilicet plus otii dedit respublica, unius facta. Profecto, si ad eloquentiam provehendam efficax esset longum placidumque studium, quid obesset quin jam et Demosthene et Cicerone majores exsurgerent oratores? Exsurgent tantummodo qui utrumque despicient, utroque se longe facundiores esse arbitrabuntur, et qui posteris aut nullam aut tenuem aut ridiculam relinquent nominis famam; viri quidem omni rhetorum disciplina imbuti, et universam artem percallentes, alius cujuslibet doctrinæ plerumque expertes; qui non transibunt scholas, sed in iis commorabuntur, iisque inhærebunt declamitantes, non jam exercitationis gratia, sed quasi ille suus sit eis vitæ studiorumque finis, quid plura? *declamatores scholastici*. Sic enim se ipsi nuncupabunt, citra omnem imbecillitatis confessionem;

utpote qui eo usque delapsi sint, ut humilitatem suam non sentiant.

Mos vero declamandi omnino non erat recens, cum ipsa rhetorum arte tantum non exortus. Apud Græcos omnis rhetor iis, quos ad dicendum instruebat, solebat quædam proponere, quæ amplificarent et omni verborum cultu exornarent : quæ dicebantur μελεταὶ, et eloquentiæ προγυμνάσματα, *apologi*, *chriæ*, *sententiæ*, *loci communes*, *theses*, *ethologiæ*[1], etc. Hæc omnia ne noverant quidem veteres Romanorum oratores, natura veluti magistra edocti. Nam, ut ipse fidem Cicero, sero admodum audiverunt rhetores Græcos, et doctores adhibuerunt[2].

Venerat Romam, missus ad senatum ab Attalo, Crates Malleotes : qui quum crus fregisset, et valetudine retineretur, plurimas ἀκροάσεις dedit vel grammaticas vel rhetoricas[3]. Mox legati ab Atheniensibus tres sophistæ, academicus Carneades, stoicus Diogenes et peripateticus Critolaüs, dum senatus de legatione ipsorum deliberaret, res et de philosophia et de rhetorica arte tractas frequentem apud populum sæpius exposuerunt[4]. Alii inde rhe-

1. Quintil., II, 4.

2. *De Orat.*, I, 4. — Apud Græcos etiam, florente forensi eloquentia, hæc juvenilia proexercitamenta scholarum limen haud videntur superavisse : hæc, ut verisimile est, non multo ante Demetrium Phalerea apud maturos viros percrebuerunt, neque in iis consenuere Pericles, Demosthenes, Æschines. « *Tunc enim non declamandi studium erat.* » (Sen. *Contr.*, I, 8.) — Cf. Quintil., II, 4, 41. — Infr., p. 11.

3. Ann. 585 U. C., 169 ant. J. C. — Cf. Sueton. *De Ill. gramm.* II.

4. Ann. 608 U. C., 146 ant. J. C. — Cf. ib.

tores, et gloria et lucro adducti, Romam affluxere. Notum est quanta fuerit apud juvenes patricios earum disciplinarum gratia, qui, ut ait Terentianus senex, pari studio fovebant *equos*, *canes ad venandum*, aut *philosophos*[1]. Sed ea erat Græculorum facundia quæ, si adolescentes novitatis voluptatisque lenocinio alliceret, senioribus severisque veterum morum custodibus esset suspecta. Nam omnia hæc summam verba et voces proferendi facultatem ostentabant, quam flocci faciebant tales viri, at nihil ad mores pertinebant : quin, ita morum securi videbantur isti sophistæ vel rhetores (quod utrumque nomen sibi vindicabant), ut vel in patria Catonis Gorgiam imitarentur, et altera die pro justitia, altera contra justitiam dicerent[2]. Quare minus mirum est si adversus philosophos et rhetores senatusconsulto cautum sit *ut Romæ ne essent ;* si aliquo interjecto tempore eorum imitatores Latini *censorio edicto* exagitati sint[3].

Unus ex his censoribus, qui *Latinos rhetores* notavere, fuit L. Licinius Crassus. Quis autem est, nisi magnus ille et præstantissimus orator, de quo tantam opinionem habuit ac posteris tradidit M. Tullius? Num contrarius esse potuit vir insignis eloquentia eloquentiæ studio? Imo et amicissimus erat, sed bono et recto. Malum autem esse et pravum genus novum disciplinæ pro certo habe-

1. *Andr.*, init.
2. Affirmat id Lactantius (*Instit.* V, 14).
3. Sueton. *De ill. rhet.* I.— A. Gell., XV, 11. Senatuscons. factum est C. Fannio Strabone, M. Val. Messala coss. ann. U. C. 592, 161 ant. J. C.). — Censorium edictum ann. U. C. 661 (92 ant. J. C.).

bat, ut testantur ipsa edicti verba : *Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur;* queriturque in iis ludis *homines adolescentulos totos dies desidere.*

In dialogo, qui inscriptus est *de Oratore*, Crassum inducit Cicero de iisdem rhetoribus loquentem, et quid apud eos reprehendat, fusius arguentem. Pauca præfatur de edicto, quo minime (ut stulti dicebant) vetuit ne acuerentur ingenia adolescentium, « sed contra ingenia obtundi noluit, corroborari impudentiam, » et quo non adeo Græcos rhetores impugnavit, verum eorum imitatores Latinos, qui longe deteriores erant : fatetur enim « apud Græcos, qui ejusmodi essent, tamen esse, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia. » At manifestum est ne Græcos quidem magistros ei multo fuisse acceptiores. « Rerum, inquit, est silva magna, quam Græci jam non teneant, ob eamque causam juventus nostra dediscat pæne discendo[1]. » Quid enim est aliud, judice Lic. Crasso, impleri memoriam verbis, animum rebus non instrui, quam discendo dediscere ? Putabat ille « a minutissimis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque disserendi » traducendos adolescentes, et « non esse paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione arbitrati sunt.... Non enim solum acuendam illis neque procudendam linguam esse; sed onerandum complen-

1. *De Orat.*, III, 24.

dumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate[1]. » At transeamus, ne imprudentes pro vero Crasso Ciceronianum Crassum adumbrasse videamur.

Quum iturus fuit in ludos ipse Cicero, a senatusconsulto et censorio edicto superstites et quasi redivivi florebant Romæ rhetores, quum Græci, tum Latini. Ad hosce ne accederet, optime cavit patris prudentia et doctissimorum hominum auctoritas; ne licuit quidem ei, quanquam valde exoptanti, adire L. Plotium Gallum, qui tum rhetor maximi nominis erat apud Latinos[2]. Illos autem audiit, illorum præceptis accuratissimo studio, summa docilitate, et cujus maturum ipsum aliquando pœniteret, junior adhæsit. Quantum operæ consumpserit in iis præceptis colligendis, recolendis, et assidua exercitatione tractandis, nemo nescit. Ejusmodi vero magistris non ita erat affixus, ut iis se daret totum, et veros oratores in rostris et judiciis audiens acerrimo studio tenebatur, et frequens erat apud jurisconsultos, et Philonis Academici vestigiis insistebat, Diodorum Stoicum retinebat domi[3]. Cum hac natura, hoc incredibili discendi ardore, poterat haud dubie versari in scholis rhetorum sine periculo : habebat unde gliscentibus vitiis aut obsisteret aut mederetur.

Itaque videmus eum et juvenem et seniorem in rhetoricis exercitationibus pertinaciter commorantem : usque adeo, si vacat tantulum a foro, timet

1. *De Orat.*, III, 30.
2. Sueton. *De clar. rhet.*, 2.
3. *Brut.*, 89, 90.

ne otio et desuetudine torpescat ingenium. Antequam ad causas vel privatas vel publicas accederet, nullus ei dies transvolabat, quem non in legendo, scribendo, commentando transegisset. « Commentabar, inquit, *declamitans* (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam latine, sed græce sæpius [1]. » Postquam biennio causas egisset, et firmandæ valetudinis causa, et potius amplificandæ doctrinæ, migravit in Græciam Asiamque, ubi adiit disertissimum quemque, et summos oratores, « quibuscum exercebatur, ipsis libentibus. » Eos *summos oratores* vocat, propter gratum animum scilicet, qui meri rhetores erant, et fictas plerumque causas orabant. Unum tamen, Molonem Rhodium « quum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis prudentissimum » testatur fuisse [2]. Ad præturam usque græce commentatus est, senior latine [3]. Quum occupata fuit a Cæsare respublica, et intermissæ sunt in foro publicæ causæ, tum philosophiæ et oratoriis meditationibus solus aut cum paucis amicis vacavit. Declamavit autem, ut ipse ad P. Volumnium Eutrapelum scribit, coram Cassio et Dolabella, eodem tempore quo Græcam philosophiam Latinam faciebat. Simul atque ruebat in extremas calamitates res Romana, ille sensim se in abditum ac secretum litterarum sacrarium recondebat; unde exsiliit tamen, ut vo-

1. *Brut.*, 90.
2. *Ibid.*, 91.
3. Sueton. *De clar. rhet.*, 1.

cem liberam et jam omnino Demosthenicæ facultati parem in Antonium jacularetur, famæ magis et patriæ consulens, quam vitæ suæ. Alebant etiam tum ac sustinebant facundiam ejus sæpius repetitæ commentationes, qui, licet illas in Catilinam, illas in Verrem orationes habuisset, sibi diffidebat. In *Familiaribus Epistolis*, plurimam facit ejus consuetudinis mentionem : hic dicit ad ipsum audiendum convenisse frequentes homines, illic non sine joco : « Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse illos apud me *declamitare*, me apud eos cœnare[1]. » Atque ii sunt, si conjicere licet, quos *grandes prætextatos* aiebat, quosque quum in atriolo Ciceronis audiendi copiam ætas fecisset M. Annæo Senecæ, civilium bellorum furor eripuisset, summo amissæ occasionis desiderio ille tenebatur[2].

At non Ciceronis unius, sed jam et æqualium erat hic mos declamandi. Omittamus filium ipsius, qui paterno inductus exemplo, apud Cassium græce, apud Brutum latine *declamitare* se scribit Tironi[3]. Declamandi consuetudinem repetiisse sub ipsum civile bellum dicitur Cn. Pompeius, quum C. Curioni, Cæsaris causam defensuro, vellet contradicere : declamationes ne Mutinensi quidem bello omisit Cæsar Octavianus; declamavit et sedecim continuos dies M. Antonius, ipsi Tullio responsurus[4].

1. *Epist. fam.*, IX, 16, 17, 20. — VII, ultim.
2. *Controv.*, lib. I, *præf.*
3. *Epist. fam.*, lib. XVI.
4. Suet. *De ill. rhet.*, 1. — Cic. *Philipp.* V.

Qualis tunc erat illa declamitandi ratio ? Nomen ipsum, quod ejusmodi exercitationibus indictum fuit, novum erat, et post Ciceronem natum, ut ex eo intelleximus. Cum nomine autem et novatum esse aliquid in exercendi modo, satis verisimile est. Pro certo saltem tenemus adhibitam fuisse in his commentationibus magnam varietatem, easque non easdem mansisse perpetuo. Si Tranquillum adimus, admonet nos « rationem dicendi nec unam omnibus, nec singulis eamdem semper fuisse. Nam et dicta præclare, per omnes figuras, per casus et apologos aliter exponere, et narrationes tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare consuerant : interdum Græcorum scripta convertere, ac viros illustres laudare vel vituperare ; quædam etiam ad usum communis vitæ instituta, tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere ; sæpe fabulis fidem firmare, aut historiis demere ; quod genus θέσεις et ἀνασκευὰς et κατασκευὰς Græci vocant, donec sensim hæc exoleverunt, et ad controversiam ventum est[1]. » At, mediumne fuit aliquid inter θέσεις, quæ ante Ciceronem, et *controversias,* quæ post Ciceronem expositæ sunt ? Silent Tranquillus et Fabius, aut non omnino assentiuntur ; annuere videtur M. A. Seneca : « Declamabat Cicero, non quales nunc *controversias* dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem diceban-

1, *De clar. rhet.*, 1. — Haud aliter M. F. Quintil. (*Inst. or.*, II, 4, 41) : « Fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea institutum fere constat.... Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus Cicero auctor est.... »

tur, quas *theses* vocabant. Hoc enim genus materiæ, quo nos exercemur, adeo novum est, ut nomen quoque ejus novum sit. *Controversias* nos dicimus, Cicero *causas* vocabat. » Continuo hæc legere est de declamatione ipsa : « Apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem et Calvum, inveniri potest, qui *declamationem* distinguit. Ait enim : Declamare est jam mediocriter dicere. Bene alterum putat domesticæ exercitationis, alterum veræ actionis[1]. » Equidem, an reipsa declamationem Tullius veram actionem existimarit, valde dubito; erat tamen hæc veræ actioni propior ac similior, tantaque eloquentiæ experientia multo dignior, quam pueriles illæ et tirunculis accommodatæ, quotquot enumeratæ sunt a Tranquillo exercitationes. *Causas* igitur, quas declamasse dicitur Cicero, quantum distent ab antiquis istis, quæ *theses* dicebantur, præexercitamentis, optime quisque sentit; haud ita facile est intelligere, quale sit illud, quod tam gloriosa diligentia jactat M. Seneca, *causas* inter et *controversias* discrimen. Tamen haud scio an *causis* tribuendum sit id quod de *veteribus controversiis* refert Tranquillus : « Veteres controversiæ aut ex historiis trahebantur (sicut sane nonnullæ usque adhuc), aut ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus adjectis proponi solebant. Sic certe collectæ editæque se habent.... olim autem eas appellatione Græca συνθέσεις vocabant : mox *controversias* quidem, sed aut *fictas* aut *judiciales*[2]. » Fortasse igitur putan-

1. *Controv.*, lib. I, *præf.*
2. *De ill. rhet.*, 1.

dum est Ciceronianas *causas* ex historiis esse desumptas, vel ex veritate aut re aliqua recenti, et eas quidem forensibus simillimas. Restat ut ætas Senecæ *fictas* controversias, id est neque ex historiis, neque ex veritate ulla tractas jure sibi vindicet.

Quanquam ipse Marco Senecæ Marcus Seneca objici potest, apud quem reperimus factam mentionem de *controversia* a Cicerone habita, et ea quidem consimili illarum, quæ Augusti tempore declamatæ sunt[1]. Item in *Rhetorica ad Herennium* et libris *de Inventione*, passim invenire est *causas*, quæ *controversiis* Senecæ nimium similes videntur[2]. Sed prætereamus, ne tantulam illam fictas controversias inveniendi gloriam M. Senecæ sodalibus invidere videamur. Quum vero jam similes antea controversias inveniamus, ad id adducimur ut agnoscamus ante M. Senecam rhetores jam cœpisse desipere, et opinemur, non adeo hæc placuisse Ciceroni.

Rhetoricas enim exercitationes, quales in scholis habebantur, acerbe carpit in dialogis *de Oratore*, tum L. Crassi, tum M. Antonii personam mutuatus. De Crasso hactenus : at quid de iis M. Antonius orator sensisse dicatur, paulum attendamus. Optime enim, quid in arte *istorum Græcorum*

1. « Color unus ab omnibus qui declamaverunt introductus est,ex illa Ciceronis sententia tractus, quam in simili controversia dixit, quum abdicaretur is qui adulteram matrem occidendam acceperat, et dimiserat terrore. » (*Contr.*, lib. I, 4.)

2. Pro Oreste parricidâ (*ad Her.*, I, 10-16).—Contra Horatium, vel pro eodem sororis interfectore (*de Inv.*, II, 26).—Accusat Teucer Ulyssem, quod fuerit Ajaci mortis auctor (*ad Her.*, I, 11), etc.

mendosum sit ac puerile, nobis aperiet; quorum quum ars omnis in minutissima præcepta digesta sit, quod præcipuum est et ipsam eloquentiæ summam neglexere. « Dividunt enim totam rem in duas partes, in *causæ* controversiam et in *quæstionis*.....*quæstionem* appellant, rem positam in infinita dubitatione. *De causa* præcepta dant, de altera parte dicendi mirum silentium est[1]. » Quasi vero non obversetur cuique, in omni controversia, ista quam fugiunt *quæstionis* infinita dubitatio. Sed quem in *Gorgia* reprehenderat tam acriter Plato rhetorum animum, idem vivax permanserat. Itaque futuros oratores monet M. Antonius, « videant quid velint; ad ludendumne an ad pugnandum arma sint sumpturi[2]. » Ludus nimirum, et nihil nisi ludus erat omnis hæc scholarum exercitatio. Nam novum aliquid et rhetoricis auribus inauditum proferre sibi videtur M. Antonius, quum hoc oratori primum præcipit, « quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat. » Et quum vult intelligi, animadvertere se rhetorum scholas, addit : « Hoc in ludo non præcipitur. Faciles enim *causæ* ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit, hostes repulit, accusatur. Nihil est negotii hujusmodi causam defendere. Recte igitur nihil de causa discenda præcipiunt : hæc est enim in ludo *causarum* fere formula. At vero in foro, tabulæ, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates,

1. *De Orat.*, II, 19.
2. *Ibid.*

decreta, responsa, vitæ denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est[1]. »

Qui sic rhetoricas ætatis suæ *causas* exagitat Tullius, non putandus est hercle istius modi nugas senior et consularis, cum *grandibus prætextatis*, eo potissimum tempore, quo se in Antonium accusandum accingeret, declamavisse. Quod si, quid declamaret, conjectura volumus assequi, ipse nobis nonnihil suppeditat, qui Crassum inducit sic colloquentem cum Sulpicio et Cotta : « Equidem probo ista, quæ vos facere soletis, ut *causa aliqua posita consimili causarum earum, quæ in forum deferuntur,* dicatis quam maxime ad veritatem accommodate[2]. » In *Epistolis*[3] dicit se commentari *theses,* id est, infinitas eas quæstiones, quas in rhetorum scholis abesse criminabatur : cujus generis manent adhuc *Paradoxa* et *Tusculanæ disputationes,* quas nonnunquam vocabat *senilem declamationem.*

Nequidquam igitur cum Ciceronis causa miscere suam aggrediantur declamatores : nos alteram ab altera sejungemus. Nam quid in utraque simile admodum est? Ille, quum commentatur, quid in animo habet, nisi ut veluti in palæstra quadam vires suas ad pugnam exerceat atque recolligat? Nam pugnandi etiam tum erat in patria aliquis locus. Hi, qui in ætatem, ut minus turbatam, sic minus liberam inciderunt, qui non poterant omnes

1. *De Orat.,* II, 24.
2. *Ibid.,* I, 33.
3. *Ad Attic.,* IX, 4. — Quintil., X, v, 11.

in judicia ab innumeris causidicis obsessa confugere, qui non habebant quotidie defendendos clientes, quem alium sibi propositum habuerunt plerumque finem declamandi, nisi ut declamarent?

CAPUT II.

De scholasticis declamationibus, quæ Augusto imperante floruerunt.

§ I. *De superstite apud forum eloquentia.*

Jam quæramus, quomodo veteris eloquentiæ locum occupaverit declamatio, et pro *exercitatione domestica* in simulacrum *veræ actionis* excesserit : unde certiores fiamus, quousque delabi possit ars rhetorum, magno aliquo ac serio fine destituta.

Interfecto Cicerone, actum est de publicis causis, et rostra nulla sunt; mox Cæsaris Augusti victoria *eloquentiam pacabit*[1] in perpetuum. Omnia, quæ ad rempublicam spectant, aut apud principem secretis consiliis tractabuntur, aut (dummodo nullius sint momenti) ad senatum deferentur. Pedibus plerumque ibunt in sententiam Patres : ex iis si quis pro specie interdum de qualibet re gravi disserat, quotusquisque audebit vel egredi relationem, vel sententiæ loco aliquid afferre, quod principi displiceat?

Supersunt saltem judicia et causæ privatæ, et

1. Tacit. *Dial. de Orat.*, 38.

2.

eloquentiæ pars haud contemnenda. Nec deerunt qui hanc laudem sequantur; inter quos numerare est M. Valerium Messalam Corvinum, « virum exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, Latini utique sermonis observatorem diligentissimum[1] »; Asinium Pollionem, qui se alterum et majorem quidem existimabat Ciceronem[2]; qui, quum audiret versum hunc Corn. Severi,

Deflendus Cicero est Latiæque silentia linguæ,

hoc non in deminutionem modo sui, sed in contumeliam acciperet, iratusque refugeret eum, cui *mutus* ipse videretur[3]; Mamercum Scaurum, hominem acuti ingenii, linguæ mordacis, probrosæ vitæ, mortis decoræ[4]; Passienum, quem appellat M. Seneca *eloquentissimum et temporis sui primum oratorem*[5], et qui vel Messalæ et Asinio anteponendus quibusdam videbatur[6]; Cassium Severum, eximium causarum actorem, et unum ex ultimis libertatis Romanæ cultoribus[7]; Labienum, Cassii Severi amicum, et cujus libri ex senatusconsulto cremati sunt, egregium quoque ipsum oratorem, « qui per multa impedimenta eluctatus ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat, quam volentibus[8]; » alios denique nonnullos, et in primis Servium Sulpicium, cujus non

1. M. Senec., *Controv.* II, 12.
2. Cf. Quintil., Tacit., pass.— A. Gell. XVII.
3. M. Senec. *Suas.* 7.
4. M. Senec. *Controv.* lib. vulgo V, *præf.* — Tacit., pass.
5. *Controv.*, II, 13.
6. *Exc. Controv.*, III. *præf.*
7. *Exc. Controv.*, III. *præf.* et pass.
8. M. Senec. *Controv.*, lib. vulgo V, *præf.*

sine laude meminit Quintilianus[1], et Gavium Silonem, cujus ea erat rarissima laus, isto præsertim tempore, ut « eloquentiam absconderet » magis quam ostentaret, et de quo hæc feruntur ab Augusto dicta : *Nunquam vidi patremfamiliæ disertiorem*[2].

Verum Actiacam circa pugnam, omne adolescentulorum studium se convertit ab oratoribus ad rhetores ac declamatores : illorum hi veluti æmuli facti sunt. Nequidquam importuno scholasticæ sectæ favori reclamaverunt, qui vivebant in foro oratores; nequidquam subrepentem insaniam tollere, latius patenti malo obsistere voluerunt : vicit declamatio, ejusque victoriam ipsi oratores et viderunt et aliquando animo æquiore passi sunt. Cui infestissimus mansit Messala : is declamationibus, nonnisi ut sibi risum moveret, intererat[3]. Intererat et Asinius Pollio, qui inexpertis fori ac judiciorum suam experientiam, qui delirantibus suam prudentiam opponeret[4]; declamabat tamen ipse, sed *nunquam admissa multitudine*[5], quanquam primus dedisset in bibliotheca sua locum publicis recitationibus. Declamavit quoque domi Labienus, quia nondum consuetudo admittendi populum inducta erat, aut si malueris speciosam ejus excusationem, quia id putabat *turpe ac frivolæ jactationis*[6]. Declamavit etiam paterfamiliæ ille

1. X, I, 22 et 116.
2. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*
3. Id. *Ibid.* II, 12.
4. Id. II, 11. — *Exc. Controv.*, IV, *præf.* et pass.
5. *Ibid.*
6. Id. *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*

Gavius Silo[1]. Declamaverunt Cassius Severus et Passienus, sed minus diserte uterque quam dicebant causas[2] : quanta inde scholasticis gloria, qui vel de forensibus oratoribus triumphare videbantur!

§ II. *De arte declamatoria.*

Meminimus declamatas esse a Cicerone causas, quam simillimas earum, quæ in forum deferuntur. Talis exercitatio, si intra certos se continuisset fines, adeo non mala fuisset et eloquentiæ damnosa, ut contra plurimum ad eam excolendam et provehendam conferre potuisset. Quod optime intellexit prudentissimus ille et sagacissimus oratoris institutor, M. Fabius, qui non poterat quin cum Tullio sentiret, et simili declamationem conditione definiret. Quoties enim aliquam facit declamationis mentionem, quid sit sequendum, quid vitandum, simul admonet. Vult enim aut veras causas retractari, aut causarum materias fingi quam simillimas veritati; neque quidquam inter forense genus atque hoc declamatorium interesse putat, nisi quod alterum in foro, alterum in schola habeatur; alterum sit verum, alterum veri imago simillima[3]. An cum Tulliano ac Fabiano judicio congruat declamatorum ratio, perpendere nunc in promptu est.

1. Senec. *Contr.*, lib. vulg. V, 31, 34.
2. Id., *Exc. Controv.*, III, *præf.*
3. *Inst. orat.*, X, 5, pass.; II, 10, 3.

Earum, quas declamaverunt, *suasoriarum* ac *controversiarum* satis multa supersunt specimina in libro, qui M. Annæi Senecæ rhetoris inscriptus est. Hic liber dat documenta de omnibus qui per aureum istud declamationis ævum, ab initiis inde Augusti ad principatum Tiberii ineuntem[1], nomen aliquod declamando obtinuerunt. M. Seneca, Lucii Senecæ philosophi pater, postquam eum diutius Cordubæ, « intra coloniam suam continuisset bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagabatur[2], » pacato tandem post Actiacam pugnam imperio, Romam devenit cum municipe suo ac sodale Porcio Latrone, ibique rhetoricam artem ac declamatoriam docuit. Ex illius declamationibus, quas haud sine favore recordatur Quintilianus[3], nihil ad nos pervenit; sed quum jam senior esset, a filiis suis, M. Novato, L. A. Seneca, L. A. Mela rogatus est, ut memoriam suam, cujus incredibilis erat et miraculo proxima felicitas[4], scrutaretur accuratius, et quidquid ab inclytissimo quoque declamatore acute inventum aut dictum meminisset, recolligeret ac perscriberet. Vix dici potest quanto gaudio vetus rhetor in antiqua studia redierit, quanta diligentia memoriam largo sententiolarum proventu gravidam excusserit : quippe qui et filiorum profectum respiceret,

1. Omittit enim eos qui a filiis suis, quorum « in Tiberii Cæsaris principatu juventæ tempus incidit, » (L. Senec. *Epist.* 108, 22) audiri potuerunt. *Controv.* I, *præf.* — Lib. vulg. V, *præf.*

2. *Controv.*, I, *præf.*

3. IX, 2, 42 et 98.

4. *Controv.*, I. *præf.*

et æqualium suorum, quibus jam oblivio imminebat, aut quorum laus falsis commentariis missa erat in discrimen, famæ consuleret[1]. Qui ut hanc farraginem undique decerptam congereret, quanta ei non patientia (nam tanto operi impar fuerat patientia, alio momento destituta), sed quanta indulgentia, quanto declamationis cultu opus fuit! Omnia tamen suum habent finem. Ipse M. Seneca, quum ad calcem libri devenit, lassatum se et fastidio tentatum haud negat; hunc pudet tandem, *quamdiu non seriam rem agat*[2] : habemus confitentem reum. At sit M. Senecæ venia : quantum apparet ex ejus libro, qui jam seni excidit, erat unus e prudentissimis declamatoribus. Fucum faciunt illi plerumque veteres amicitiæ, et communes exercitationes; interdum tamen improbat ac carpit eos, quibuscum vixit et sensit. Est sanum ejus judicium, non firmum : eadem in aliis amat, in aliis odit; eadem alia hora optima, alia pessima esse contendit. Anceps videlicet atque distractus videtur inter præteritam indulgentiam ac præsentem severitatem : scilicet intellexerat senior post Ciceronem pessum ivisse eloquentiam, et mala, quorum pars non magna fuerat, deliberato animo detestabatur.

Quum puer a grammatico litteras esset edoctus, adibat rhetorem, ut se foro et eloquentiæ accingeret. Erant prima quædam apud rhetorem progymnasmata, quibus ut multum temporis a Græcis rhetoribus, sic a Latinis minimum tribuebatur, quæ

1. *Controv.*, I, *præf.*
2. *Ibid.*, lib. vulg. V, *præf.*

tamen haud negligenda arbitratur Quintilianus : *narrationes*, *communes loci*, *theses*, etc.[1] Postquam reperta est atque usu consecrata declamatio, ad eam properabatur; in qua nimirum efferebat sese ac gestiebat ars rhetorum. Duplex erat declamandi genus, quod et *Suasorias* sive deliberativas, et judiciales, quæ *Controversiæ* dicebantur, materias admittebat. De laude ac vituperatione, quod a rhetoribus genus *demonstrativum* appellatum est, nulla facta erat separatim mentio, sive quod hoc opus totum « habet aliquid simile Suasoriis, quia plerumque eadem illic suaderi, hic laudari solent[2], » sive quod nihil nisi demonstrativum et ad meram compositum ostentationem Suasoriis inerat ac Controversiis.

Ea quæ ad suasorias et judiciales causas pertinent, fuse tractat Quintilianus[3], non ita tamen, ut scholasticas tantum exercitationes præceptis adornet, sed ut veras res et vera negotia respiciat. Nobis inde mutuum sumere satis erit, quidquid ad scholasticas declamationes nostras attinet : quæ ubique reperire est de eloquentia deliberativa aut judiciali præcepta, consulto præteribimus.

Suasoriæ, quia faciliores judicabantur, in schola controversias anteibant. Nam quum Græci majus et difficilius existimarent τὸ δημηγορεῖν τοῦ δικάζεσθαι[4], Romani atque in primis Tullius [1], judicialem deli-

1. II, 4.
2. Quintil., III, 7, 28.
3. III, 9. — III, 11, et passim.
4. Aristot. *Rhetor.*, III. — Idem (*ibid.* I, 10-14) queritur quod rhetores jam causas judiciales aliis præponerent.

berativa eloquentia majoris et operæ et dignitatis esse prædicabant, ob diversitatem nempe morum utriusque reipublicæ : Athenis enim honestissimus erat publicus orator, ὁ ῥήτωρ, ὁ τοῦ δήμου σύμβουλος, vilis autem erat et ne aperte quidem confitenda causidici, τοῦ λογοποίου, industria ; Romæ causarum patronus nihil non sibi et honorum et famæ vindicabat. Quam ob causam, minime propter id quod nullus jam suasoriis erat locus, suasoriæ stabant in vestibulo declamationis, et ingredientibus tirunculis reservabantur.

Scholastici, vetere quodam insitoque rhetorum discipulis vitio, qui artis divisiones sæpius cum rerum natura congruere, et quidquid in capita librorum sectum sit, reipsa credunt a ceteris rebus abhorrere, Suasorias dicendi genere a Controversiis plerumque nimio plus discernebant, quod quidem dicendi genus non modo diversum sed omnino judiciali contrarium esse arbitrabantur : nam « et principia abrupta et concitatam semper orationem, et in verbis effusiorem, ut ipsi vocant, cultum affectaverunt, et earum breviores utique commentarios, quam judicialis materiæ, facere elaboraverunt. » Quos ob istum errorem ridet Quintilianus, et nisi malint *in commentariis rhetorum consenescere*, nisi malint *in desuescendis morari*, quam veritatem sequi, monet eos nec semper debere esse « in consiliis abrupta initia, et concitatius sæpe in judiciis dictum, et verba aptanda rebus in utroque genere, et breviores aliquando causarum privata-

1. *Ad Herenn.*, II, 1.—*De Orat.*, II, 17.—*Orat.*, 11.—*De Offic.*, II, 14, etc.

rum orationes, quam sententiarum [1]. » Videbantur quoque scholasticis Suasoriæ, potius quam Controversiæ, quosdam poeticos locos admittere; itaque in iis describebantur copiose tum *locorum habitus fluminumque decursus, et urbium situs moresque populorum* [2], tum maris infinita fluctuatio, tempestates ac procellæ, vasta noctis silentia [3].

Argumenta Suasoriarum erant pleraque ex historiis sumpta : declamatores dabant consilium Syllæ *privatus ut altum dormiret* [4]; *placebat* eis mirum in modum dux ille Pœnus [5], qui rhetori

. . . . Sexta
Quaque die miserum dirus caput Annibal implet,
Quidquid id est de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes [6].

Deliberabant an *isthmos intercidi*, an *siccari palus Pomptina*, an *portus fieri Ostiæ posset* [7]; alia hujus modi multa. Ludentes affirmabant aut negabant esse aliquam Atlantidèm, quum eam moverent quæstionem, an *Alexander oceanum naviget*, *ultraque terras sit inventurus* [8] : quam magnam rem agitarent, eos procul dubio fallebat, meras fabulas tractare sibi videbantur : nam et fictæ poeticæque

1. III, 8.
2. M. Senec. *Controv.*, II, *præf.*
3. Id., *ibid.*, pass.
4. Juven., I, 16.
5. Ut pueris placeas et declamatio fias. (Id. X, 167).
6. Id. VII, 161 sq.
7. Quintil., III, 8.
8. M. Senec. *Suasor.* 1.

ponebantur suasoriæ, ut *Priami verba apud Achillem*[1]; quidvis fiebat declamatio. Sustinebant etiam recentes et tanquam hesternas res in suasorias componere : deliberabat Cicero an *Antonium deprecaretur*, an *Philippicas suas combureret*[2]. Quid, vivo Augusto? at citra periculum erat : invidiam omnem auferebat Antonius, quum suasoria diceretur, non historia.

Necesse enim erat ut se ad suam ætatem accommodarent declamatores. Itaque, quum dandum esset in Suasoria aliquid consilii regi cuilibet, optime animadvertebat rhetor, quemadmodum deceret regi suadere, necnon quis tenendus esset modus etiam in laudando, ne forte laus vituperationem dissimulare videretur[3]. Dolebat, si quis aliqua linguæ aut imprudentia aut intemperantia laboraret. Nam, etiam ante Tiberium Caligulamque et Neronem, non tutum erat displicere principi[4]. Potuit impune, sed obstupentibus cunctis, in Suasoria de Cicerone, dicere quidam *non unum illi esse Antonium infestum*[5]. Potuit item declamari, tanquam hac proposita lege : *Tyrannicidæ præmium detur*[6]. Contemnebat Augustus loquaces istos tyrannicidas[7]: pro certo habebat hæc esse verbo tenus, et Græculæ

1. Quintil. III, 8.
2. M. Senec. *Suasor.*, 6, 7.
3. Id. *ibid.* 1.
4. « Nondum hominibus verba sua periculosa erant, jam molesta. » (L. Senec. *De Benef.*, III, 27.)
5. *Suasor.* 6.
6. *Exc. Controv.* IV, 7.
7. Juven. VII, 151 :
Quum perimit sævos classis numerosa tyrannos.

linguæ verbera haud reformidabat[1]. Attamen nec bene vertit Porcio Latroni, qui præsentem Agrippam parum dissimulatis conviciis esset insectatus : paulo post tædio duplicis quartanæ sibi necem conscivisse dictus est[2]; at quartanæ isti minus credere videtur M. Seneca, vixque miseretur sodalem, quum suæ ipse sibi perniciei fuerit auctor[3].

Obiter incitat Quintilianus eum, quem informat ad bene dicendum, si apte hanc Suasoriarum exercitationem adhibere velit, ut legat « non orationes modo, sed historias etiam : namque in his *conciones* atque *sententiæ* plerumque suadendi ac dissuadendi funguntur officio[4]. » Quid enim sunt, si ad calculos veneris, *conciones* istæ, quæ apud historiarum scriptores plurimæ obversantur, nisi sanæ quædam et callidæ suasoriæ, quæ tamen nonnunquam redolent declamationem? At non omnes e rhetorum scholis defluxerunt. Sunt quæ ante remotissimam ætatem, qua declamatio pervulgata esse fertur, vel ante primos rhetoricæ artis doctores Coracem et Tisiam, historiis fuerant insertæ. Neque enim obliviscamur ab Homero, velut a largo

1. Minus ignovit iis C. Caligula. Quum accepisset acriter declamare Secundum Carrinatem adversus tyrannos, exsulare eum jussit ; qui Athenis fame oppressus, hausit venenum. Dion., LIX, 20 , Juven., VII, 203 :

> Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,
> Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
> Carrinatis : et hunc inopem vidistis, Athenæ,
> Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.

2. *Chronic.* Euseb. — Cf. Egger, *Exam. des histor. d'Aug.*, p. 67 et 151.

3. *Controv.* II, 12.

4. III, 8.

quodam atque exundanti fonte derivatam esse apud Græcos, ut tragœdiam, sic et historiam; ad Homeri exemplar, musa quadam pedestri, Annales suos direxisse Herodotum. Herodotum audiit, auditum imitari, quantum sinebat dissimillima natura, voluit Thucydides; Thucydidem Xenophon et alii. Veniant ergo cum Homero suo grammatici, cum declamatione sua rhetores : historicarum concionum morem non inducent, sed accipient ac vulgabunt. Namque pars erat rhetoricæ artis historia, ideoque de ejus modi *concionibus* et *hortationibus* præcepta suppeditat Tullius in libro qui *Orator* est inscriptus[1]. Adfuit etiam tempus, quo, propter rhetoricam quamdam importunitatem, magis in concionando quam in narrando commorati sunt imperiti historiarum scriptores : quod vitium accusat in procemio Diodorus Siculus. Non tam putidi sane declamationum affectatores fuerunt Crispus Sallustius et Titus Livius : tamen uterque prodit suam cum rhetoribus consuetudinem, quum ille vel notas integrasque ætate sua orationes adulteret, hic unam eamdemque dicendi facultatem et *cascis* illis, quos Ennius vocat, Romanis et Annibali et cuilibet recentiorum consulum aut tribunorum commodet[2].

Post Suasorias aliquandiu frequentatas, ascendebat declamator, tanquam ad superiorem gradum, ad judiciales materias, ad *Controversias*. Controversiis enim adhibebantur sexcentæ et intricatis-

1. *Orat.* 20.
2. Docte ac diserte de his disseruerunt vir. clariss. Daunou (*Cours d'Ét. hist.*, t. VII, leç. XIII et XIV), Egger (*Exam. crit. des hist. de la vie d'Aug.*, Append. I).

simæ quidem rhetoricæ artis argutiæ. Hic potissimum utrinque acris contentio et captiosis argumentandi dolis erat locus; hic potissimum juvabat quemque quum partem alteram tuitus esset, eam impugnare, ac suam æmulorumque ratiocinationem invertere, confutare, extenuare, in pulverem dissolvere : hic quoque potissimum ad cuncta vel minutissima et difficillima, fingebatur et torquebatur oratio. Non contenti sunt controversiarum declamatores vulgatis ejus partibus, quæ sunt *procœmium*, *narratio*, *probatio*, *refutatio*, *peroratio*; addunt *partitionem* et *propositionem*, non insulse quidem hactenus, quanquam reclamat Quintilianus, et objicit *partitionem* partem esse *quæstionis*; *quæstionem*, speciem *probationis*[1]. Verum addunt *Egressionem* vel *egressum*, miram videlicet orationis partem[2]. Istius insaniæ causa manifesta est, etiam si eam non argueret aliud agens idem Quintilianus[3]; quæ est in cupiditate utcunque illustrandi orationem, placendi, nitendi, aures voluptate devinciendi : nam si minus id assequi possent intra ipsam quam acceperant, controversiam se tenentes, haud videbant quid impediret quominus extra evagabundi sibi morem gererent.

Qui priore loco declamabant, ii *petere* vel *exponere* vel *proponere* dicebantur controversiam, ex altera parte *contradicebatur*[4]. Controversiam qui totam per-

1. III, IX, 3.
2. *Ibid.* 4. — Declamatorios *excessus*, cum aliis partibus, memorat M. Seneca, *Controv.*, lib. vulgo III, *præf.*
3. III, XI, 25.
4. Quintil., IV, II. — A. Gell., IX, 15. — C. Plin. *Epist.*, I, 20.

orabant, *implevisse* dicebantur; qui non implebant, proponebant saltem *divisionem*, sive *partitionem*, sive *quæstiones*: quotquot species admittere videbatur pars alterutra, delineabant. Summa enim erat in hac declamandi provincia laus subtilitatis; quumque in hac veteres vincere voluissent rhetores novi, dubitationem injiciebant M. Senecæ « recens divisio utrum subtilior an tantum operosior[1] » esset; et quæstionum quidem plurima exempla passim in ejus libro reperire est, quæ quum ultimum subtilitatis terminum affectent, ultimum dementiæ consequantur. Quanquam hoc imminebat iis, qui solas quæstiones proponebant, periculum, ne productis nimium iis, et adductis locis communibus in tractationem inciderent[2]: inter utrumque tenere, ut difficillimum, sic honestissimum erat.

Proximi erant quæstionibus *colores*, id est quæ omnia credibiliter adduci poterant, ut alterutram partem firmarent arbitrisque approbarent. Erant etiam colores rhetorum præceptis separatim instructi[3]. Ars summa eminebat, si quis *colores prima facie duros actione probaret*[4]. Unde Juvenalis de adultera cum servo deprehensa :

Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem[5];

(neque ille quidem abierat scholasticis intentatus

1. *Controv.*, I, 1.
2. *Ibid.*, I, 1. — Lib. vulg. III, *præf.*
3. *Ibid.*, I, 3 ; II, 9.
4. *Ibid.*, lib. vulg. V, *præf.*
5. VI, 28.

color)[1], et quum rhetorum penuriam lamentatur[2] :

Declamare doces, o ferrea pectora, Vecti,
Quis color et quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio. . . . .

Attamen omni et quæstionum et colorum solertia haud scio an scholastici acceptiorem et speciosiorem haberent felicitatem ubertatemque sententiarum, de quibus infra nobis fusius erit dicendum.

Controversias, si quidem essent materiæ judiciales, eas esse decuit, quæ in judiciis potuissent agitari : at quantum abest, ut tales declamarentur! Adeo non sequebantur scholastici præceptum Tullii censentis, aut ex medio foro sumendas materias et memoriter retractandas, aut fingendas saltem illis, quæ in foro agerentur, quam simillimas, ut contra tanquam deliberato consilio argumenta earum quærerent ac fingerent a forensi usu, a rerum quotidianarum consuetudine quam maxime abhorrentia. Si lustres ea, quæ apud M. Senecam permulta occurrunt, vix unum invenias, quod in communem ac vulgarem civium Romanorum vitam recidere videatur. Non versamur inter Quirites Romanam vitam viventes : nescio quid est, non externi moris, sed singularis, inauditi, fabulosi[3]. Hic semper

1. Similis enim materia versatur apud M. Senecam. (*Controv.*, II, 9 : « Opus erat aliquo colore, quum in cubiculo visa esset cum servo a marito. »)

2. VII, 150 sq.

3. Hæc controversiarum mendacia salse ac facete exposuit vir præstantissimus, S. M. Girardin (*Essais de litt. et de mor.*, t. II : *Les Controv. de Sénèque le père*), cui, ut lectori morem

agitantur tyranni, piratæ, raptores, adulteria, vene-

geramus, pauca hæc mutuabimur. : « Je dois remarquer que ces sujets de déclamation semblent toucher de près au drame ou à la nouvelle. Le rapprochement est plus frappant encore, quand on voit de quelle manière les arguments étaient développés. Silius Bassus fait une véritable scène de roman, lorsqu'il peint (cf. *Controv.*, I, 6) le jeune homme pris par les pirates, le corps chargé de fers, à peine vêtu, pâle, décharné, relégué dans un coin du vaisseau. Le pauvre captif n'avait plus d'espoir. Mais il remarqua que la fille du chef des pirates était douce et compatissante, qu'elle cherchait à adoucir les maux des prisonniers, surtout les siens. Il n'avait plus ni la beauté ni l'éclat de la jeunesse.... Quoi qu'il en soit, la jeune fille le vit et l'aima.... Puis viennent, comme en plein roman, les conversations et les espérances des deux amants : ils fuiront ensemble, ils arriveront dans la maison du père du jeune homme, et ce père, sachant que la fille du pirate a sauvé son fils, la recevra comme sa fille la plus chère. Ils partent, ils arrivent dans cette maison paternelle tant espérée ; mais le père veut les séparer, et pourquoi ? pour faire épouser à son fils une riche et noble héritière. Ici une tirade véhémente contre le préjugé de la noblesse, car nous semblons toucher aussi au roman philosophique ; mais surtout une tirade contre la femme dotée, cet éternel objet des colères de la poésie latine, depuis Plaute jusqu'à Juvénal.... Enfin, pour achever le pathétique de ce petit drame ou de ce petit roman, la fille du corsaire s'écrie qu'elle va partir seule, ne voulant pas apporter la division dans cette maison où elle croyait ramener la joie et le bonheur. — Non, répond son amant, nous partirons ensemble, et nous serons heureux ou malheureux ensemble. » Ce qui achève de prouver que ces exercices oratoires touchaient de près au roman et à la nouvelle, c'est que, dans le roman de l'*Illustre Bassa*, de Scudéry, cette controverse de la fille du pirate est métamorphosée en nouvelle. Scudéry seulement a transporté la scène en Turquie. La fille du pirate s'appelle Alibeck, et c'est elle-même qui raconte son histoire devant le grand Soliman ; le jeune homme s'appelle Osman, il est fils d'un pacha avare. Scudéry n'a rien changé à l'histoire, et il a souvent traduit mot à mot les phrases des écoliers de Porcius Latro; il a

ficia[1], « magi, pestilentia et sæviores tragicis novercæ; » quæ profecto « extra fidem et poetica, ut vere dixerim, themata frustra inter *sponsiones* et *interdicta* quæremus[2]. » *Extra fidem* dixit, quem laudavimus hic, Quintilianus, nec immerito; adeo-

même conservé les deux discours pour et contre ; seulement la cause, au lieu d'être plaidée dans l'école de déclamation de P. Latro est plaidée devant Soliman...... » Nonnulla hic reperire est, collata inter se, Latinæ declamationis Gallicæque imitationis fragmenta ; quæ quoniam cuique licebit legere, ne longum faciamus, præteribimus. Tum porro : « Que conclure de ce rapprochement imprévu entre Sénèque et Scudéry ? que ces controverses de la déclamation antique ne doivent pas seulement être étudiées comme des exercices de rhétorique, mais qu'il y a là aussi une trace et un souvenir de quelques-uns des contes qui amusaient l'antiquité ; que ces contes, tout métamorphosés qu'ils sont en plaidoyers, contiennent cependant çà et là de curieux renseignements sur les mœurs des anciens, et que, sous ce rapport surtout, ils méritent d'être connus. » Auditum teneat qui de fabulis, quæ Petronianas et Apuleianas fabulas apud Romanos antecesserint, disserere velit ; nos, qui eloquentiam tantum, et seriam quidem eloquentiam respicimus, omnia hæc, non tanquam mala, sed tanquam aliena et aversa reprehendimus.

1. Unde Juvenalis (VII, 168 sq.) de declamatoribus in forum migrantibus :

> Et veras agitant lites, *raptore* relicto ;
> *Fusa venena* silent, *malus ingratusque maritus*,
> Et quæ *jam veteres sanant mortaria cæcos*.

Cf. Petron. *Satyric.* init. : « Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident, sed piratas cum catenis in littore stantes, et tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant, etc. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. »

2. Quintil., II, x, 5.

que sæpe extra fidem, ut, quum ipse forte controversiæ quamdam ponat materiam, scholasticam quidem hanc esse moneat, *sed non quæ non possit accidere*[1]. Quasi nimirum idem sit scholastica, idem incredibilis materia. Vix enim credi potest viros, et eos plerumque ætate maturos, serio, nunquam admisso risu, tractasse hujusce modi argumenta, quorum vel tituli partim ficti sunt, partim ridiculi. *Vir fortis sine manu.* — *Luxuriosus a sodalibus excæcatus.* — *Laqueus incisus.* — *Jusjurandum mariti et uxoris.* — *Dementiæ accusatur qui filiam servo junxit.* — *Sacerdos prostituta.* — *Raptor duarum.*— *Ter fortis.*— *Cavete proditorem.* — *Tyrannicida et adulter tyrannni.* — *Raptus in veste muliebri*, etc.[2], etc. Inter tot mendacia, num quid manebit sincerum? Nihil. Adulterantur leges[3], adulterantur juris Romani vocabula[4], adulteratur historia[5]. Quam ob causam? Enimvero, quam ob aliam, nisi ut res aliqua inexspectata, aliquid miraculi hinc trahatur ?

Quæ omnia nemini, opinor, non futilia et ridicula videbuntur ; atque utinam iis nullum aliud

1. Quintil., XI, I, 82.
2. M. Senec. *Controv.*, pass.
3. *Ibid.* I, 3 (*Incesta de saxo*), etc.
4. Quintil., VII, IV, 11 : « Quæ in scholis *abdicatorum*, hæc in foro *exhæredatorum* a parentibus et bona apud decemviros repetentium ratio est ; quæ *illic malæ tractationis*, hic *rei uxoriæ*, quum quæritur utrius culpa divortium factum sit ; quæ illic *dementiæ*, hic *petendi curatoris*. » Cf. quæ de his A. Pollio scholasticis objicit, M. Senec. *Controv.*, II, 11.
5. *Controv.*, lib. vulg. IV, 24.— Lib. vulg. V, 34. — *Exc. Controv.*, VIII, 2. — *Suasor.*, 2.

inesset vitium ! Sed inauditum esset, si litterarum perversitas mores haudquaquam attigisset. Sunt ex iis materiis quædam obscenæ, sunt quæ, vel sanctissimos naturæ sensus, pietatem scilicet erga parentes, ludibrio habeant. Quod nec satis cavit ipse Quintilianus[1]. Color enim quærendus erat, ut id filius approbaret, ne esurientem patrem aleret; id frater, ne fratrem[2]. Color quærendus erat, ut libidinosus filius libidinosum patrem dementiæ reum faceret, alterque alterum objurgaret[3]; ut pater, qui filiam suam, contrariis in bello civili partibus addicto viro nuptam, et marito fidelem, mori jussisset, recte fecisse agnosceretur, vel ut mortuæ frater dementiæ crimine patrem notaret[4]. Color quærendus erat, ut homicida in se jure egisse, et nulli obnoxius esse reprehensioni probaretur[5]; ut excusaretur Flamininus, qui inter cœnandum, a meretrice rogatus, unum e damnatis decollari jussisset[6]; ut homo nequam, qui expositos pueros debilitasset, debilitatosque coegisset mendicare, et sibi inde quæstum pararet, is inquam ignavissimus ac scelestissimus homo absolveretur, videlicet, quia « expositi in nullo numero sunt, servi sunt[7]. » Tales causas frequentissimi dicebant, et disertissimus præsertim quisque, quum *experimenta suarum virium* facere

1. III, VIII, 43.
2. *Controv.*, I, 7 ; I, 1.
3. *Ibid.*, II, 14.
4. *Ibid.*, lib. vulg., V. 32.
5. *Exc. Controv.*, VIII, 4.
6. *Controv.*, lib. vulg. IV, 25.
7. *Ibid.*, lib. vulg. V, 33.

vellet[1]. In obscenis vero præcipue exultasse videtur declamatorum ingenium; sive controversia poneretur de libertino turpissimæ impudicitiæ reo, ejusque impudicitiam aliquis *officii* erga dominum egregio obtentu tantum non laudaret[2]; sive esset de illo, qui conjugem suam simili vitio inquinatam deprehenderat et occiderat[3]; sive esset de sacerdote Vestali quæ empta a lenone prostiterat, et quæ, quum se pudicam mansisse contenderet, nihil audiret nisi lupanar, meretricem, et quæ vel referre puderet[4].

Non quod sibi non viderentur optime consulere moribus declamatores. Unus enim e vulgatissimis ac tritissimis eorum locis erat *temporum insectatio*[5]; ac nihil omnino iis erat acceptius, quam si Romanos mores premerent, clementem piratarum animum extollerent, si patrifamiliæ alicui, a piratis flagitanti ut suo filio manus amputarentur, opponerent recusantes istos et naturæ, æquitatis, misericordiæ jura prædicantes. Et ne quem, quid velint, prætereat, addunt : « Hoc prorsus ad fabulas, repleto sceleribus nostro sæculo deerat, ut narraretur aliquis solutus a piratis, et alligatus a patre[6]. » At cui fucum facient, verba et voces ingerendo, et declamatoriam jactando indignationem? *Credat Judæus Apella, non ego.*

Jam satis patet declamatoriam artem, qualis

1. *Controv.*, lib. vulg. V, 33.
2. *Exc. Controv.*, IV. *præf.*
3. *Controv.* I, 2.
4. *Ibid.*
5. *Suasor.*, 6.— *Contr.* II, *præf.*— *Controv.*, lib. vulg. V, 33.
6. *Controv.*, I, 7.

circa Ciceronis tempora facta est, perpetuum esse mendacium. In qua, quid omnino non est mendax? Falsæ sunt causæ quæ disputantur; falsa ea, de quibus ponuntur causæ; falsæ quæ missæ sunt in causas personæ; falsi qui personis tributi sunt affectus; falsa etiam, ut infra videbimus, quæ exprimendis affectibus aptata est eloquentia. Eæ sunt quæ oratoriæ facultatis exercitationes habebantur. Quid igitur exercebant, nisi inanem quamdam verborum volubilitatem, et præsentem in omni rerum articulo memoriam? Memoriæ enim quam diligentissima erat cura; illa pæne dimidia pars erat artis oratoriæ, et apud quosdam in incredibilem usque facultatem excesserat [1]. Omnia ita torquebantur, ut venirent quodam modo ad manum: pro eloquentia habebatur pessimum artificium, ut si quis aliquo die nihil præter *epicheremata* diceret, alio nihil præter *enthymemata*, alio nihil præter *translatitias sententias* [2]; vel si quis propter ambitionem perversam, atque extemporalis facundiæ ostentationem, « exposita controversia protinus dicere vellet, quin etiam (quod est in primis frivolum ac scenicum) verbum peteret, quo inciperet [3]. » Has præstigias, qui velit, admiretur; tamen quid est iis cum eloquentia commune?

1. *Controv.*, I, *præf.*
2. *Ibid.*
3. Quintil., X, VII, 21.

§ III. *De ratione declamandi apud rhetores, et de quibusdam rhetoribus.*

Apud quemlibet rhetorem declamabantur istæ Suasoriæ et Controversiæ. Dabat discipulis suis rhetor materias, tironibus Suasoriarum, jam maturis Controversiarum : iis, postquam elucubrassent declamationes suas, vicissim audientiam tribuebat, certo die definito : unde, qui declamabat, in schola *diem ducere* [1] dicebatur. Hanc *consuetudinem classium certis diebus audiendarum* carpit Quintilianus [2], quia rhetores, quæstus causa, et parentibus ut fucum facerent, quam frequentissimas dabant declamationum materias, unam nempe *sexta quaque* die [3]; haud injuria malit Fabius minus properatas esse auditiones, at contra plurium quamque dierum, ita ut in ea diutius et diligentius commoraretur cum discipulis magister. Plerique declamabant advocatis codicibus, qui memoriam titubantem firmarent; erant tamen quorum secura memoria *supervacuos fecerat codices* [4]. Declamabat et vice sua rhetor, qui discipulis veluti exemplar ac specimen quoddam declamationis exhiberet. Sic formabantur discipuli et

1. Sunt qui legant *diem dicere* (*Contr.*, I, *præf.*), eodem sensu quo Juvenalis de recitationibus C. Statii (VII, 83) : *Promisitque diem.*

2. X, v, 21. — XI, vii.

3. Juven., VII, 161.

4. M. Senec. *Controv.*, I, *præf.*

sua ipsorum exercitatione, et rhetoris emendationibus dictionibusque. At rhetorum alii pigri erant in declamando [1]; alii fastidiosam auditionem declamitantium juvenum, eademque assidue sine ulla intermissione retractantium, declinabant ac dedignabantur : nam, ut ait Juvenalis :

Occidit miseros crambe repetita magistros [2].

Quorum uni apud Romanos Porcio Latroni, apud Græcos Nicetæ, quum declamarent ipsi tantum, dicerentque *se non esse magistros*, *sed exempla*, id contigit ut non audirent declamantem quemque, atque ut discipuli *non audiri desiderarent*, *sed contenti essent audire* [3]. Unde in usu esse cœpit nomen *auditorum*, quod primo per contumeliam a deridentibus tributum erat horum rhetorum discipulis.

Materiæ a scholis in scholas, veluti adventitiæ merces, asportabantur; sive recolerentur veteres et a Græcis desumptæ, sive novæ ab integro fingerentur, veteribus operosiores et mirabilius aliquid præferentes argumenti. Errat igitur si quis, quianam sub unius controversiæ vel suasoriæ titulo, quid esse dictum meminerit, recolligit ac perscribit M. Seneca, conventum fuisse ac concilium quoddam rhetorum opinetur, in quo hæc omnia dicta sint. In una controversia vel suasoria sunt comprehensa, quæ et apud diversos *scholarum cœtus* [4] et diversis temporibus audivit M. Se-

1. Quintil., II, II, 8.
2. VII, 154.
2. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. IV, 18.
4. Quintil., II, IX, 2.

neca, tum apud Marillium, tum apud Cestium[1], tum apud quemvis alium rhetorem. Tamen verisimile est nonnunquam in scholam unam convenisse frequentissimos declamatores, ut inter se eloquentia decernerent[2]; per plurimos dies curriculum patebat[3]. Sed id nec semper fiebat, et tantummodo inter clarissimos cujusque scholæ. Verisimile etiam est solemnium illorum declamationis ludorum meminisse M. Senecam libentius, quam earum quæ sexta quaque die apud rhetores habebantur exercitationum; quanquam nec eas despiciebat. Nam si quis horum cujusque hebdomadis declamatorum, tironum nempe ac prætextatorum, ingenio sese excellenti extulisset, ad eum audiendum fama perducebatur[4]. Sed quomodo non fuisset in audiendis maturæ ætatis declamatoribus diligentior?

Ad rhetores enim non prætextati tantum concurrebant; apud scholas versabantur etiam togati, etiam trabeati, etiam, ut vidimus, oratores foro assueti. Tantane maturis viris modestia? At non ea modestia erat, verum jactantia et facundiæ ostentatio. Nec semper hoc illis bene vertebat; nam si durus esset in emendando ac contumeliosus rhetor, non minus acerbe reprehendebat senatorem[5], quam adolescentem quemlibet; accidit et prætorio viro, qui sensum aliquem minus aptum

1. Cf. in *Controv.*, I, 1, quæ apud unum et alterum audierit.
2. « In hac controversia Græci declamatores tanquam rivales rogati sunt. » (*Contr.*, II, 14).
3. *Controv.*, I, 3 ; I, 7 ; II, 9, etc.
4. Sic de Alfio Flavo (*Controv.*, I, 1) et de Q. Varo (I, 3).
5. Cf. de Pastore Aietio, *Controv.* I, 3.

attulerat, ut risu exciperetur, et cogeretur excedere [1]. Scilicet tam dulce erat vel exercitationibus, quæ secretæ esse debuerant, aut habere paucissimos amicos conscios, adhibere frequentes auditores, et *habere suum populum* [2]. Quæ consuetudo non statim post Ciceronem invaluit : nam florente Labieno oratore, *nondum erat inducta* [3].

Qualis autem erat ille populus, et qualem plerumque faciebat declamatoribus audientiam ? Fingamus nobis aliquam rhetoris celeberrimi scholam. Adest rhetor, adsunt discipuli, adsunt amici, cognati. Ponitur controversia. Præloquitur declamator, plerumque sedens [4]; mox surgit, quasi calore provehatur ; nam veræ actionis similitudinem affectabant, et quidam inter scholasticos scholastici nolebant videri [5]. Quum si efferbuisset, quis erat loquacitati modus ? Quidquid in controversiam cadere poterat, vel longissime tractum, congerebant : sæpe, aliquo declamante, *ter buccinavit* [6]. Detinendi erant voluptate auditores, omniaque ad delicatas aures accommodanda : *non illi pejus dicebant, sed hi corruptius judicabant* [7]. Auditores

1. *Controv.*, I, 2.
2. *Ibid.*, lib. vulg. III., *præf.* — Lib. vulg. V, *præf.*
3. *Ibid.*, V, *præf.*
4. *Ibid.*, I, *præf.* — Lib. vulg. III, *præf.*
5. *Ibid.*, I, 6. — I, 7. — Lib. vulg. III, *præf.* — Lib. vulg. V, *præf.* — *Suasor.*, 2, 3. — Unde : *Scholasticus bona fide* (*ib.*).
6. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.* — In foro ad *clepsydram* perorari solebant causæ. In schola, nulli erant temporis fines. — *Buccina* in rure et castris horarum signum erat ; inde T. Liv. : *prima, secunda buccina ;* inde M. Seneca : *ter buccinavit*, i. e. tres horæ elapsæ sunt.
7. *Exc. Controv.*, lib. III, *præf.*

plerumque aliud agebant; at si forte aliquam *sententiam belle sonantem* audiissent, aut *verborum belle cadentium compositionem* [1], tum in clamores et plausus erumpebant. Quos clamores ac plausus haud immerito vituperat Fabius, consuetudinem nempe « indecoram et theatralem, tum studiorum perniciosissimam hostem, » docetque nos, hunc usum « invicem qualiacumque laudandi », egregio *humanitatis* obtentu, velut in legem abiisse [2]. Theatralem hanc dixit consuetudinem; non id unum erat in declamationibus theatrale : nam si quis aut una aut altera declamandi parte sibi nomen fecisset, hæc audiebatur a populo frequente, post fuga fiebat [3] : num aliter agi poterat cum comœdis? Sed hæc omittamus, quæ non propria sunt declamationibus, et quæ in recitationibus quoque publicis carminum reperias, bene nota vitia.

Res immensæ operæ, sed non ita quidem utilis foret, si eorum, quotquot a M. Seneca nominati sunt declamatores, effigiem vellemus exprimere. Nam innumeri sunt, et quidquid de his dictum ad nos pervenit, jam collectum est e testimoniis M. Senecæ, Suetonii, Quintiliani, Taciti [4]. Satius nobis erit, et proposito nostro convenientius, si

1. *Controv.*, lib. vulg. III, 19.
2. *Inst. orat.*, II, II, 10.
3. *Exc. Controv.*, III, *præf.*
4. Cf. libellum Andr. Schotti *De claris apud Senecam rhetoribus*, affixum editioni L. et M. Senecæ, cum comment. (Lutet. v° Febrv. 1627). — Adi potius E. Egger, qui rhetoricarum earum imaginum quasdam breviter æque ac vivide delineavit, dum disserit de M. Seneca (*Exam. des hist. d'Aug.*, chap. IV).

tres quatuorve ex præcipuis eorum seligantur, quos obiter consideremus, et a quibus omnes fere noscantur.

Scholasticæ jactantiæ, scholasticæ insaniæ specimen præbet Cestius Pius. Smyrnæus hic rhetor non græce sed latine docuit, quamvis *inopia Latinorum verborum laboraret*[1]. Quum præcipit Quintilianus ne acerbus, ne contumeliosus sit rhetor, eosque carpit, qui *sic objurgant, quasi oderint*[2], depingere videtur Cestium; quem mordacissimum hominem, et quo nullum fuisse contumeliosiorem testatur M. Seneca[3]. Si irasceretur, ne senatoribus quidem parcebat, et modum omnem transgressus, vel Quintilio Varo prætextato paternam cladem exprobrabat, aut invitabat auditores suos *ad alios audiendos ire*, quum ipsi malefaceret qui *aut athleta aut pyctes* esset[4]. Is vero erat qui non facile esset contentus, qui nec secum eodem modo sæpe sentiret[5]. Se inter sanos scholasticos numerabat, multos accusabat corrupti judicii, ipse corruptissimus[6]. Prudens cautusque in custodienda fama sua, si quis inter discipulos egregie dixisset, dicere post eum haud sustinebat[7]: non quod diffideret melius se peroraturum, sed quia opinionem auditorum experiri supersederet. Ad summam,

1. *Controv.*, lib. vulg. III, 16. Schœll, II, p. 395.
2. *Inst. orat.*, II, II, 7.
3. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.* — Lib. vulg. IV, 26.
4. *Controv.*, I, 3.
5. *Exc. Controv.*, III, 7. — *Controv.*, lib. vulg. III, 16.
6. *Controv.*, II, 14. — *Exc. Controv.*, III, 7. — *Contr.* lib. vulg. III, 19.
7. *Controv.*, I, 1.

Cestius fuit *homo nasutissimus*, *nullius ingenii*, *Ciceroni etiam infestus* [1], et ita quidem infestus, ut neminem æqualium ille habuerit sibi infestiorem. Proprius ac peculiaris quodammodo erat inimicus Cestio Tullius, importunus nempe æmulus fama eloquentiæ : nam maximum esse illum civem, rhetor haud morabatur [2]. Sui eum discipuli longe præponebant Tullio, cujus eas tantum noverant orationes, quibus rescripserat magister, ut *Milonianam* [3]. At non impune tulit assiduam istam Tullianæ laudis insectationem. Ulti sunt Ciceronem Cassius Severus et ipse oratoris filius. Placuit Cassio Severo, ut rideret ineptissimum rhetorem, ridendumque omnibus daret, in jus eum ad prætorem vocare, lege *inscripti maleficii;* inde ad alterum prætorem eum ducere, et *ingrati* postulare; tandem apud prætorem urbanum *curatorem* ei petiturus erat, nisi intervenissent amici : lis ut dirimeretur, pro conditione positum est, ut *juraret Cestius disertiorem esse Ciceronem quam se; verum nec hoc ut faceret, vel serio effici potuit* [4]. Alio die, cœnabat apud M. Tullium Ciceronis filium rhetor noster : quum hero memoria et natura deesset, et tum ebrietate fuisset interclusa, petivit a nomenclatore, quis ille vocaretur, qui in imo lecto recumberet. Respondit servus : *Hic est Cestius, qui patrem tuum negabat litteras scire.* Nec plura : extemplo exsilire M. Tullius, et poscere

1. *Suasor.*, 8.
2. *Suas.*, 6.
3. Quintil., X, v, 20. — M. Senec. *Exc. Controv.*, III, *præf.*
4. *Exc. Controv.*, III, *præf.*

flagra, et *Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestii satisfacere*[1].

Porcius Latro rhetor ille est, qui audiri a discipulis, non ipse audire eos volebat, municeps et sodalis M. Senecæ, qui primum ejus in libro locum obtinet. Illum habemus quemdam veluti horum declamatorum principem. Si quis legat quæ de eo fuse scripserit M. Seneca[2], non amicitia tantum inductus, sed, ut videtur, publica omnium admiratione, minusque attendat inter quos iste et quibus in rebus versatus fuerit, non potest quin de potentissimo aliquo agi oratore arbitretur. Verum excutiamus omnem illam amici, condiscipuli, viri similibus studiis enutriti magniloquentiam; ante oculos nobis obversatur non orator, sed rhetor, sed declamator, Cestio similior quam Ciceroni. Quid enim propius ridiculo est, quam declamator qui fictas controversias suasoriasque dicit *acriter* et *violenter*? Nam sic audiebat Latro, et inter calidos declamatores numerabatur. At calidum istum declamationum actorem videte in actione vera : jam trepidus, jam infans est. Voluit quadam die descendere e cathedra, et forum adire : oranda erat causa pro ipsius propinquo. Quum non aspiceret arctos scholæ suæ parietes, sed apertum forum, non faventes ac summo silentio admirabundos *auditores* suos, sed arrectum judicem et strepentem circumcirca hominum turbam, usque adeo confusus fuit, ut inciperet a solœcismo; quumque, ut dicendo procederet, magis magisque

1. *Suasor.*, 8.
2. *Controv.*, I, *præf.*

turbaretur, impense petiit ut transferrentur subsellia in basilicam : tum demum se et facundiam suam recepit [1]. Omni et mente et ingenio scholasticus erat; ideoque nonnunquam ab Asinio Pollione deridebatur; qui dicebat *in nulla magis illum re scholasticum deprehendi*, quam quum *videretur tanquam forensis facere* [2]. Atque ideo fortasse sive quod Cordubensis aliquid linguæ retinuerat, dicebat Messala : *sua lingua disertus* est [3]. Quam contumeliam ægerrime accepisse fertur, et ultus esse recitata inter suos discipulos atque elevata oratione quadam Messalæ. Utinam autem nullam aliam in se molestiam traxisset, quam Pollionis vel Messalæ jocos ! Tam male temperabat linguæ, ut principis iram lacessiverit : quomodo id ei verterit, supra diximus.

Audivit assiduo P. Latronem Ovidius Naso, et nonnulla in carmina sua ex ea auditione transtulit [4], quamvis *diversum sequeretur dicendi genus* [5]. Arctius vero adhæsit rhetori Arellio Fusco [6]. Nec mirum id cuiquam videbitur, si attendat quæ fuerit, auctore M. Seneca, hujus rhetoris indoles, quale ingenium. « Erat explicatio Fusci splendida quidem, sed operosa atque implicita; cultus nimis exquisitus ; compositio verborum mollior.... summa inæqualitas orationis, quæ modo exilis erat, modo

1. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. IV. *præf.* — Quintil., X, v, 18.
2. *Controv.*, II, 11.
3. *Ibid.*, II, 12.
4. Cf. infr., cap. III, § 3.
5. *Controv.*, II, 10.
6. *Ibid.*

nimia licentia vaga et effusa.... In descriptionibus extra legem; omnibus verbis, dummodo niterent, permissa libertas. Nihil acre, nihil solidum, nihil horridum. Splendida oratio, et magis lasciva quam læta [1]. » Ille est qui cultam et mollem, et nimia effusam licentia, et in descriptionibus sese efferentem, et eorum quæ nitere possent amatricem impotentem, et nihil unquam horridi, nonnihil lascivi admittentem naturam Nasonis aluit et suis vitiis fecit oblectari. Fusco propria erat singularis quædam eloquendi ubertas, et ea quidem quæ Ovidianæ facilitati plurimum placeret : græce et latine declamando, sibi par usque habebatur [2]. Sua eum indoles Suasoriis quam Controversiis præstabat aptiorem : tum maxime ad arbitrium poterat evagari in *explicationibus* suis et *descriptiunculis*, atque *fracta compositione* et *nimio cultu* Virgilianisque imitationibus lascivire [3]. Nam poeticis fabulis, poeticis ornamentis plerumque ansam dabant Suasoriæ, juvabatque Fuscum decorare poetica luxurie solutam declamationum orationem. Hunc inter sexcentos sibi magistrum selegisset Naso, qui, *quidquid tentabat scribere, versus erat* [4]; cujus, etiam quum juvenis admodum declamaret in schola Fusci, audiente M. Seneca, *oratio jam tum nihil aliud poterat videri, quam solutum carmen* [5].

Papirius Fabianus Fusci quoque auditor fuerat,

1. *Controv.*, II, *præf.*
2. *Suasor.*, 4.
3. *Ibid.*, 2, 3.
4. *Trist.*, IV, 10, 20. In hac elegia memorat Naso suam fratrisque sui cum declamatoribus consuetudinem.
5. *Controv.*, II, 10.

cujus genus dicendi, quanto ardore expresserat, tanto effugit, quum e declamatore philosophus evasit, et stoicus quidem. Manserunt tamen antiquorum vitiorum in eo vestigia : quædam in ejus oratione *tam subito desinebant, ut non brevia essent, sed abrupta. Dicebat autem fere dulces sententias. Deerat illi oratorium robur, et ille pugnatorius mucro*[1]. Hæc novissima de quo dicta sunt? An de L. Seneca philosopho? Si non de L. Seneca, at saltem de præceptore illius, et eo quidem præceptore, quem amavit, cujus et laudavit dicendi genus[2] et secutus est. Quantum novisse possumus Fabianum, nobis apparet veluti prior quædam L. Senecæ species. Philosophus enim stoicorum sectæ addictus, antequam disputationes celebraret, quam sæpissime interfuit declamationibus : quod factitarunt Attalus quoque stoicus et L. Seneca[3]. Ut L. Seneca, de philosophia plurimum scripsit. Ut L. Senecam, juvabat eum verbo tenus in *convicio sæculi* insistere[4], et in luxum invehi, et matrem virtutum, priscam paupertatem desiderare[5]. Quemadmodum declamatorie philosophatus est L. Seneca, is philosophicum in modum declamabat, et sinebat aliquando evagari sine modo stoïcam suam doctrinam[6]. Quid quod sæpe, quum legas Fabiani fragmenta, legere tibi videaris L. Senecam?[7]

1. *Controv.*, II, *præf.*
2. *Epist.* XL, C, et passim.
3. *Suasor.* 2. — *Controv.*, *præf.*
4. *Controv.*, II. *præf.*
5. *Ibid.*, II, 9. — II, 14.
6. *Ibid.*, II, 13 ; II, 14 et pass.
7. Proferantur hæc, exempli gratia : « Non simulas ista,

Ideo nimirum, post Ciceronem, A. Pollionem, T. Livium, nemini postponit Fabianum auctor Epistolarum ad Lucilium [1].

§ IV. *De funestis declamationum incrementis.*

Quæ poterat ex ejusmodi exercitationibus percipi utilitas, quam perceperat M. Tullius, eam declamatorum culpa pessumivisse, imo declamandi consuetudinem in præcipuam corrumpendæ eloquentiæ causam excessisse, cui non manifestum est? Hoc saltem optime senserunt atque animadverterunt in *Institutione oratoria* Quintilianus [2]; in *Dialogo de oratoribus* Tacitus [3]; ipse Petronius in libro ineunte; C. Cæcilius Plinius Secundus, amator ille oratiuncularum et versiculorum, non sine quadam εἰρωνείᾳ nominat scholasticos, vel loquacem illum, et ut Juvenalis ait, *torrentem* [4] Isæum; ni-

sed facis : nec amantem imaginaris, sed amas; nec potantem adumbras, sed bibis; nec dedoces dissipare bona, sed dissipas. Nemo vitia quæ odit imitatur. Quis ut ambitum comprimeret, ipse honores mercatus est? quis ut seditionem leniret, turbavit rempubl.? Non coercet vitia qui provocat.» (*Controv.*, II, 14.) — « Dixit deinde (Fabianus) locum de varietate fortunæ, et quum descripsisset nihil esse stabile, omnia fluitare, et incertis motibus modo attolli, modo deprimi, absorberi terras, et maria siccari, montes subsidere, deinde exempla rerum e fastigio suo devolutarum adjecit : sine potius rerum naturam, quam fortunam tuam deficere. » (*Suasor.*, 1.)

1. *Epist.*, C.
2. II, x, 3.
3. Cap. 14, 29, 30, 31, 35.
4. III, 74.

hilque dignitati suæ convenientius esse ducit, quam si scholasticum se esse recuset[1].

Pessimum vero id fuit, quod sibi sufficere visa est declamatio, quumque eloquentiæ prolusio manere debuit, certum quoddam evasit eloquentiæ genus. Ideo reperta erat, ut forenses contentiones quum exprimeret, tum præpararet; factaque est non ita longo tempore quam alienissima foro. Postquam enim desiit esse abdita et obscura exercitatio, postquam habuit populum et plausus, tum adeo non præparavit foro, ut contra ipsa præparatione eguerit : plurimi declamatores, ante quam *populo dicerent,* secretis utebantur exercitationibus[2]. M. Seneca suadet Melæ suo ut declamet : idem simul eum hortatur ut abstineat foro. Declamet primum, deinde quem ex declamatione fructum carpat, circumspiciet : « Eloquentiæ, inquit, tantum studeas; facilis ab hac in omnes artes decursus est. » Continuo loquitur de Fabiano, *qui eloquentiæ studebat, non eloquentiæ causa*[3]. Quam bene hæc scholam olent! Scholastici tam arcte determinant eloquentiam, ut separata quædam sit scientia, quæ tota versetur in bene dicendo, et quæ per se esse possit, omissa rerum civilium, omissa philosophiæ tractatione.

Multi igitur *eloquentiæ tantum studebant*, id est, senescebant in scholis fictas materias non sine mirabili pertinacia pertractantes. Oratores et se habebant et a ceteris habebantur, haud secus atque

1 *Epist.*, II, 3 ; I, 24 ; IX, 2.
2. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.*
3. *Controv.*, II, *præf.*

illi qui vivebant in foro. Quod si forte scholasticam famam suam mitterent in hoc ignotum forum, quoties inde redibant infelices et ridiculi! Meminimus P. Latronem aperto spatio perterritum, et tecta parietesque poscentem. Quot P. Latrones, postquam in foro oberraverunt, conclusum scholæ suæ spatium similiter desideravere! Quum in falsa rerum imagine detinerentur diutius, et inanibus delectarentur simulacris, laborabant ubi ventum erat ad vera discrimina : quod in vitium non incidebant veteres oratores, qui judiciis intererant quam plurimis [1]. Omnia enim in hoc forensi certamine, fictis suis certaminibus similia esse arbitrabantur; vixque cognita causa omnia sibi sumebant, propterea quod consueverant in schola, omnia quæ in *themate* non essent pro se ducere [2]. Jam non poterant quin uterentur suis quas vocabant *egressionibus* [3], et nesciebant omittere solitum *magna semper flandi tumorem*, prout causa posceret; omnia magna loquebantur, minuta et vilia contemnebant. Unde reperire erat nonnullos, *qui sibi eloquentiores viderentur, quam ut causas agerent* [4] : scilicet timebant diserti viri ne forte in foro magniloquentiam suam detererent.

1. Quintil. X, IV, 17 sq, — Tacit. *De Orat.*, 34.
2. Quintil., VII, II, 54.
3. « Plerisque moris est, prolato rerum ordine, protinus utique in aliquem lætum ac *plausibilem locum*, quam maxime possint, favorabiliter excurrere. *Quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, jam in forum venit, postquam agere causas, non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum jactationem repertum est.* » Quintil., IV, III.
4. Quintil., XII, VI, 5.

Hic enim nihil temere dictum peribat, nec licebat quidem tuto figuras rhetoricas proferre. *Jusjurandum*, exempli gratia, una erat e figuris inter scholasticos vulgatissimis [1]. Declamatorum unus, non e multis, Albutius Silo, causam tuebatur quamdam apud centumviros : adversarium incessebat ut impium erga parentes ; quem putavit a se proturbandum esse ac prosternendum, hac inducta figura : « Placet tibi rem jujejurando transigi ? Jura per patris cineres.... » Extemplo surgere ex diverso patronus : « Accipimus, inquit, conditionem. » Et judices annuere. Clamare tum Albutius : « Non detuli conditionem, schema dixi. » Instare alter, donec res jurejurando transacta est. Indignatus Albutius valedixit foro, et quamdiu vixit, oravit causas in quibus figuræ essent innocentes : seque est solatus, cujus declamationes frequentem populum cierent [2]. Quanto enim securior erat schola ! Quanto latius patebat figuris ceterisque facundiæ declamatoriæ ornamentis spatium ! Res erat inter sodales ac conscios ejusdem eloquentiæ. Quod si fortasse dissentirent, et aliquis ab altero premeretur, exclamabat : « Primum non apud eumdem præceptorem studuimus [3]. » Hæc litem dirimebant.

Toties pulsos fuisse ac fugatos e foro scholasticos post fœdam cladem, ne miremur. Tam apti oratores defendendis Controversiis suis, tam remotis a

1. « Scholasticorum frequentissimo jam more. » M. Senec. *Suasor.*, 8.

2. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.* — Sueton. *De clar. rhet.*, 6. — Quintil., IX, II, 95.

3. *Controv.*, II, 9.

veritate, tam singularibus, nonnunquam etiam tam pravis, non poterant quin veras causas et bonas in foro aliorum facerent.

Nemo sanus, etiam Augusti tempore, quid declamandi mos iste ridiculi haberet ac periculosi, non intelligebat. At quotusquisque gliscenti malo obsistere, et plausuum lenocinio se subducere potuit, quum, ut supra vidimus, ipsi forenses oratores nonnihil isti consuetudini concesserint? Omittamus quæ prudenter æque ac salse de hoc disseruerit Cassius Severus, qui, optimus in foro orator, non ita bonus in declamatione reperiebatur [1] : suspectum ejus esse potest judicium, aut saltem non satis æquum. Ipsis declamatoribus elicienda estdeclamationum censura. M. enim Seneca, qui indefessa memoria et manu, decem Controversiarum libros, unum Suasoriarum conscripsit, si quando minus officit prudenti seni amor veteris studii, sive tædio sub finem ipse petitus est, quam esse declamationem censet, nisi aliquod genus scripti *parum solidum*[2] aut *rem non seriam*[3]? Non aliter atque orator Cassius Severus de declamatione sentit declamator Montanus Votienus, qui eam meram esse ostentationem facile et ingeniose demonstrat [4]. Se quum sic aperte arguant declamatores, quis eos defendet?

At nequidquam ipsi suam culpam confessi sunt, nequidquam in eam invecti sunt sapientissimi viri :

1. *Exc. Controv.*, lib. III, *præf.*
2. *Controv.*, I, 8.
3. *Ibid.*, lib. vulg. V, *præf.*
4. Adi *Controv.*, lib. vulg. IV, *præf.*

vivax fuit declamatio; supersunt hodieque multa earum diversa ætate specimina. Non hæc nobis mens est, ut ea persequamur et perpendamus attentius: ad nostrum enim propositum abunde satis est, excussisse ea, quæ collecta manent a M. Seneca. M. Fabio Quintiliano inscriptæ sunt trecentæ amplius declamationes : at cujus Quintiliani sint, avine quem memorat M. Seneca[1], an patris[2], an ipsius illius qui *Institutionem oratoriam* condidit, non bene constat apud doctos. Declamatorem sane *humani generis acutissimum* hunc vocat unus e scriptoribus *Historiæ Augustæ*[3]; et eum, utpote rhetorem, frequentius declamitasse manifestum est. At, præter quam quod istarum Quintilianearum declamationum aliæ aliis sint cultiores et saniores, ideoque diversis potius auctoribus ac diversæ ætati tribuendæ videantur[4]; mirum sit profecto ab eodem, qui ficta et fabulosa declamationum argumenta tam scite tamque acriter carpit in *Institutione oratoria*, declamatas esse fictas illas et fabulosas materias, quæ sub ipsius nomine circumferuntur. Id quidem omnino fieri potuit[5], tamen non liquet : nec desunt qui aliquam istius operis partem sibi vindicare queant. Tam late diffusa erat cum arte rhetorica declamatio! Quid enim aliud erat *certamen* illud *Græcæ Latinæque facundiæ*, Lugduni a Caligula in-

1 *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*
2. De quo cf. Quintil., IX, III.
3. Trebell. Poll., *Trig. tyr.*, 4.
4. Fabric. *Bibl. lat.*
5. Nam in ipsa *Inst. orat.* (IX, II, 90) serio tractat ineptam materiam, quam et apud M. Senecam (*Controv.*, II, 11), et inter declamationes Quintiliano inscriptas (Decl. 349) reperire est.

stitutum, cum tyrannica munificentia[1]? Nonne ut *causidicorum*, sic declamatorum tulerunt amplissimum proventum Gallia, Africa, Britannia, Domitiani tempore?

Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas :
Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur jam rhetore Thule[2].

Floruit Hadriano imperante, Calpurnius Flaccus, a quo supersunt excerptæ *Declamationes X rhetorum minorum : majores* rhetores sunt ii, quorum meminit M. Seneca. Exeunte v post Christum natum sæculo, declamabat Ennodius episcopus Ticinensis, Controversias, quæ *exstant*. Mirum autem utique est christianum illum antistitem non dedignatum esse, qui inter *Dictiones* suas, quæ partim sacræ sunt, decem Controversiarum argumenta insereret, in scholis rhetorum gentilium jam multo ante tractata, argumenta inquam non simillima, sed eadem omnino[3] : nam hic quoque et *tyrannos*, et *piratas*, et *Vestales*, et *abdicatos* reperimus. Parum necesse est adjicere, eamdem esse et loquentiam.

1. Sueton. *Calig.*, 20. — Juven., I, 44 :
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

2. Juven., XV, 110. — Id., VII, 148 :
. . . . Nutricula causidicorum
Africa. . . . .

3. Pleraque enim, si non omnia, aut apud M. Senecam aut apud Quintilianum inscriptas declamationes reperire est. Exempli gratia, unam afferre liceat controversiam, quam a christiano vel inter declamandum peroratam esse mirum est : Dict. XXI, *in patrem qui, quum filium a pirata captum redimere non dignatus esset, ab eo tamen ali petebat.* Cf. M. Senec. *Controv.* I, 7, etc.

Gothica sub dominatione, non destiterunt rhetores fictas suas controversias tractare; quarum specimina duo occurrunt in scholiis ad Tullianos *de Inventione* libros[1]. Superstes esse debuit eloquentiæ, quæ res eloquentiam perdiderat.

1. Cf. in versione Gallica hujus libri (I, 17), notam doctissimi viri J. V. Le Clerc, quem hic auctorem habemus : «.... Les « rhéteurs aimaient beaucoup ces causes factices, ces plaidoyers « imaginaires, et plusieurs anciens attribuent en partie à cette « méthode d'enseignement la décadence de l'éloquence ro« maine : mais cette corruption déplorable se fait surtout sen« tir dans ces déclamations. » — Duæ istæ declamationes Gothicæ *de Verre triumphum postulante*, et *de Mario repetundarum reo* positæ sunt.

CAPUT III.

De immutata post Ciceronem a declamatoribus eloquentia Romana.

§ I. *De primis Ciceronianæ eloquentiæ adversariis.*

Bene nota est Ciceronianæ eloquentiæ indoles, quam nobis neque efferre laudibus neque judicio perpendere in animo est. Certum tamen nobis videtur esse, atque omnium veterum consensu probatum, apud nullum magis quam apud Ciceronem effloruisse Latinam eloquentiam, et, quantumvis in eo reprehendi possit nimii cultus ornatusque exquisitioris, in nullo tam puram, tam sinceram, tam sanam exstitisse orationem : satis id est nobis, ut breviter inspicere aggrediamur, quo et quam rapido lapsu deciderit ab illo fastigio Romana eloquentia.

Quod affectaverit, quod sibi proposuerit dicendi genus, ipse nobis exponit Tullius in omnibus iis, quæ senior de eloquentia conscripsit opera : quibus suam orationem, quum se et novisset optime et amaret, verissima imagine expressit. Hæc igitur paulum excutiamus.

. Dixit bene, judice Tullio, qui et latine, et plane, et ornate dixit[1].

Latine dicere non virtus est, sed conditio prima eloquentiæ[2]. Attamen quum rem attentius perpendit, cogitatque quam multi confluxerint ex diversis locis in urbem *inquinate loquentes*, tum latinitatem virtutem esse oratoriam, et in dies rariorem judicat, eamque in Cæsare quamprimum inesse magna cum laude testatur[3], eamdem apud oratores egregios, sed non urbanos desiderat absentem[4].

Haud minus necessaria conditio, neque minus rara virtus videtur Ciceroni, dicere plane et enucleate, sine ambiguo sermone; at quum res tam facilis sit, miratur quibusdam ita confusam et obscuram esse orationem[5].

Latine et plane dicere (quorum si desit alterutrum, orator nullus est) facit mediocrem oratorem. Unde igitur in se admirationem omnium ac stuporem convertat? Si dicat ornate, id est *distincte, explicate, abundanter, illuminate et rebus et verbis*, postremo cum *numero* quodam ac *versu*[6]. Ad ornatum quoque non nihil confert *humanitas et lepos in dignitate;* nam putat Tullius *neque jocum magnitudine rerum exclusum esse, nec gravitatem facetiis*[7]. Ideo tradit artem salis ac facetiarum[8]. Hic est ille ornatus, in quo non totam eloquentiam, sed ma-

1. *De Orat.*, III, 10 sqq.
2. *Ibid.*, III, 14.
3. *Brut.*, 74.
4. *Ibid.*, 46. — Sic Quintil. VIII, I, 3.
5. *De Orat.*, III, 13.
6. *Ibid.*, III, 14.
7. *De Orat.*, III, 8.
8. *Ibid.*, II, 54-71.

gnam, sed sublimem, sed suam ponit : aliam omnem *exilem*, *incultam*, *vulgarem*, *obsoletam*[1] judicat. Attamen, si delectatur oratione *gravi*, *suavi*, *erudita*, *liberali*, *admirabili*, *polita*, probat tamen certum esse in ornatu modum, præcipitque sapientissime : « Ut conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum æquabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quædam insignia et lumina. » Id est, judice Tullio, optimum dicendi genus, « non solum quod delectet, sed quod sine satietate delectet ; » adhibitisque e pictura et musica exemplis, demonstrat, « quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, ab iis nos celerrime fastidio quodam et satietate alienari[2]. » Ideo permittit oratori, ut quamvis sæpe eliciat has voces, *bene et præclare*, non tam sæpe istas, *belle et festive ;* et tum demum bene esse existimat, quum *orator ornatus et suavis suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam*[3].

Quam ob rem et Demetrium Phalerea carpit, cujus eloquentia non magis armis, quam palæstræ fuit idonea, qui *primus inflexit orationem*, et *suavis videri maluit quam gravis*[4]; et omne exagitat Asiaticum genus, quasi divinet mens ipsius, fatorum elo-

1. *De Orat.*, III, 25.—Ipse omnem ornandæ orationis provinciam suscipit, et ostendit quæ sit singulorum verborum virtus, quæ laus continuatorum (*De Orat.*, III, 43). At nulla de re fusius disserit, quam de modo continuandorum verborum ac forma, de oratoriis pedibus ac modis (*De Orat.*, III, 48 sq. — *Orat.*, 20, 44, sq.).

2. *De Orat.*, III, 25.

3. *Ibid.*, III, 26.

4. *Brut.*, 9.

quentiæ Romanæ non secura, in posteram ætatem redundatura dulcia hæc vitia. Audiamus enim quomodo invehatur in *genus verbis volucre atque incitatum*, in *studium crebrarum venustarumque sententiarum*, quæ plerumque sunt *magis venustæ dulcesque, quam aut necessariæ aut interdum utiles;* audiamus eum, ut memoret *senes quum irridentes, tum etiam indignantes et stomachantes*, dum mirantur adolescentes, strepit multitudo; audiamus ut hortetur Brutum ad continendam secum liberali custodia eloquentiam : *Hos ignotos*, ait, *atque impudentes procos repudiemus, teneamusque, ut adultam virginem, caste, et ab amatorum impetu, quantum possumus prohibeamus*[1]. Nonne hic videtur ominatus esse, quidquid probri post ipsum huic virgini sit illatum?

Tenebat enim præstantissimus dicendi auctor ac magister quod in omni re difficillimum est, modum; atque, ut in philosophia ac moribus, sic in ipsius arte oderat, si quid nimium esset. Quod si vel imprudens, vel ex industria, quum diceret, recideret sæpius in largum illum ac sonantem verborum ambitum, quem Græci περίοδον nuncupant, tamen procul aberat, ut nihil contra satietatem præcaveret. Ipse nos monet *non semper utendum esse perpetuitate et quasi conversione verborum, sed sæpe carpendam membris minutioribus orationem esse : quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda*[2]. In hoc novissimo præcepto prodit se Tullius. Neque enim is est, cui soluta Senecæ oratio approbari potue-

1. *Brut.*, 95, 96.
2. *De Orat.*, III, 49.

rat; hujus generis eloquentiam, ut quam maxime respuit et aspernatur : hanc, velut a sua ipsius facundia prorsus abhorrentem, præcipue damnat[1]. Itaque, postquam absolvit suum *Oratorem*, in quo numeros oratorios tam fuse persecutus est, eos potissimum lacessit, qui dissolvunt orationem, haud secus ac si quis fecerit cum Phidiæ clypeo emblema quoddam vermiculatum; eos etiam insanius agere existimat, cui videntur, *ut in proverbio est*, *scopas dissolvere*[2].

Constat tamen propriam Tullianæ eloquentiæ formam, et quem ipse dicit charactera, in hoc versari, quod utitur frequentissime hoc verborum *ambitu*, sive mavis dici *circuitum*, *circumductum*, *comprehensionem*, *circumscriptionem*, *continuationem*, *conclusionem*[3]. Constat quoque hanc laudem, qua se jactabat libentius, ipsius ætatis hominibus non irreprehensam excessisse, et post eum, apud Romanos in ancipiti stetisse. Scilicet quum jam maturus esset annis et ingenio, mota est Romæ

1. In nota ad *Orat.* 71, hortatur lectorem v. cl. J. V. Le Clerc ut illic animadvertat « le mépris profond de Cicéron « pour ces écrivains dont les petites phrases sèches n'ont « entre elles aucune liaison. » Idem subjicit : « Il me semble « qu'on ne pourrait se faire une idée plus juste du style de « Sénèque, et le commencement d'une lettre à Atticus (XII, 6), « que Cicéron donne en plaisantant comme un exemple du « style d'Hégésias, ressemble fort à certains morceaux écrits « par le philosophe de la cour de Néron. » — Hegesias unus eorum erat, de quibus infra dicetur, qui *Attici* volebant dici. (*Brut.*, 83.)

2. *Orat.*, 71.

3. Quintil. IX, IV, pass. Hic disserit *de compositione verborum*, et varias grammaticorum de ea re sententias æqua lance examinat : ipse *accedit in plerisque Ciceroni*.

lis quædam, si credimus Ciceroni et Quintiliano, subridicula, de ea virtute, quæ minime Romana, erat, ἀττικισμῷ. Fuit enim manus, *quasi quibusdam sacris initiata*, quæ Tullium *ut alienigenam parum studiosum devinctumque illis legibus insecuta* est [1]. Et erat quidem antiqua illa inter *Atticos* et *Asianos* oratores divisio, quum hi viderentur *pressi* et *integri*, illi *inflati* et *inanes*, his tribueretur maxime, illis omnino negaretur *judicium* ac *modus*; ex utroque esse temperatum judicaretur genus *Rhodium* [2]. Visum autem est Atticæ, quam modo diximus, sectæ annumerandum esse Ciceronem non Rhodiis, sed ipsis Asianis : tantum eum arbitrabantur ab integra quadam et severa, quam sibi optimam fingebant, eloquentiæ frugalitate recedere. Cui quidem sectæ accesserant viri amicitia ceterum Ciceroni devinctissimi, Q. Cornificius [3], M. Terentius Varro [4], Marcus ipse Brutus [5], quem contra insanos ἀττικισμοῦ affectatores loquentem inducit Tullius [6]; denique Pomponius Atticus [7].

Cum his ergo fuit ei pugnandum, ut ita dicam, pro aris et focis : nam venisse in discrimen animadvertebat omnem suam eloquentiæ famam, qua nihil habebat carius, nihil antiquius; adversus numerosam *Atticorum* phalangem pæne *solus* erat, *solus*-

1. Quintil., XII, 10, 14.— J. V. Le Clerc, Introd. ad *Orat.*, ad libr. *de Optimo gen. orat.* (vers. Gallic.)
2. Quintil., X, XII, 16.
3. *Epist. fam.*, XII, 17.
4. *Ad Att.*, XII, 6.
5. *Orat.*, 71.— *Ad Attic.* XIV, 20; XV, 1.
6. *Brut.*, 82 sq.
7. *Ad Attic.*, XV, 1.

que, quod vix credibile est, placebat sibi[1]. Qui quum se defendere vellet, et adversantes incessere, scripsit tres illos de eloquentia libros, *Brutum sive de claris Oratoribus*, *Oratorem*, *De optimo genere oratorum*. In his non jam artem suam docet, ut quum scriberet *de Oratore*, sed eruditis approbare enititur. Quum enim gravi ipsius eloquentiæ opponeretur tenue quoddam et submissum dicendi genus, necessarium judicavit ut oratoriæ gravitatis partes tueretur, et quid reipsa esset *atticum* demonstraret errantibus.

Fatetur ergo libenter propriam esse *atticis* virtutem, et ad *teretes ac religiosas* Atheniensium aures accommodatam[2]. Quæ autem est illa virtus, nisi perpetua eloquendi *sanitas*, *integritas*, et *quasi religio ac verecundia* oratoris? Atticum est genus orationis *acutum*, *prudens*, *sincerum*, *solidum*, *politum*, *urbanum*, *elegans;* atticum non est quidquid in oratione aut *insolens* est aut *odiosum*[3]. At enim ille demum atticus est orator, qui *submissus* est, *humilis*, *consuetudinem imitans*, *ab indisertis re plus quam opinione differens*, *qui horride et inculte dixit modo eleganter enucleateque*. Hunc profecto, respondet Tullius, recte vocant atticum; errant, quod solum[4]. At enim Lysias Thucydidesque et attici dicuntur et tales sunt. Quod ad Thucydidem attinet, ait Cicero, scribit historiam, non est orator[5]. Quod ad Lysiam, hoc esse in eo atticum

1. *Ad Attic.*, XV, 1; XIV, 20.
2. *Orat.*, 9.
3. *Brut.*, 82, 84.
4. *Orat.*, 9, 23, 24.
5. *Brut.*, 83.

contendit, *non quod tenuis atque inornatus sit, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum*; ceterum est ipse *multis in locis grandior*: quod si videatur jejunior esse, ideo id fit, *quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit*[1]. Sed quantum abest, ut qui attice velint dicere, *jejunitatem, siccitatem, inopiam* ex industria debeant sequi! Qui sic opinantur, eos meminisse jubet Cicero *vim et varietatem atticorum*, iis objicit magnificentiam Demosthenis, fulgurantem Periclis eloquentiam[2]. Atque ut nemini Romanorum dubium sit quam graviter, quam copiose dicant Attici, Demosthenis et Æschinis nobilissimas illas *de Corona* orationes latine convertit, præmissa præfatione, ubi *de optimo genere oratorum* disserit ab integro, aperitque quid sit sibi consilii.

Hæc est quam novissimam Cicero oravit causam, non jam pro domo, sed pro fama sua : et litem quidem obtinet, judice Quintiliano. Qui quum optime sentiat relinquendum atticis, id est Atheniensibus ἀττικισμὸν, Romanis propriam esse atque appetendam virtutem declarat, quæ in primis ciceroniana fuit, *gravitatem* et *validiorem spiritum*[3]. Sed non omnes pari in Tullium animo ferebantur; neque omnes adversarii erant, ut Brutus, ut Varro, amici : erant æmuli plerique, erant invidi. Inter quos clarissimus fuit C. Licinius Calvus, atticæ hic quoque sectæ[4], quem *exsanguem* et *tritum* judicabat Cicero, quique Ciceronem ut *solutum et enervem* aspernaba-

1. *De opt. gen. orat.*, 3. — *Orat.*, 9
2. *Brut.*, 82.—*Orat.*, 7, 8, 9.
3. *Inst. orat.*, XII, x, 35-38.
4. *Brut.*, 82.

tur, inter quem denique et Ciceronem aliquandiu anceps fuit principatus eloquentiæ[1]. Tamen, dum vixit, invictum se credere potuit Cicero, cui supererat ut ad populum provocaret, ejusque plausus ineptis vel malignis obtrectatoribus opponeret[2]. Sed postea quam triumvirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum invaserunt[3]. Ex his posthumis inimicis infestissimus fuit *famæ Ciceronis* Asinius Pollio[4], qui tamen haud ita erat æquus *atticis*[5], sed qui officere nomini suo illius memoriam sentiebat. Quantum eadem memoria displiceret Cestio rhetori jam diximus. Exstat P. Latronis aut alius cujuslibet scholastici declamatio, quæ in civem et consulem tantum non omnis acta, etiam in oratorem redundat atque *istam immoderatam eloquentiam*[6]. M. Senecæ filii Ciceronem legere dedignabantur, quod iis senex pater exprobrat salse quidem ac facete[7]. Quid mirum? Plurimi rhetores, Cestii instar, hunc in schola sua discipulis legere destiterant[8] : quorum etiam unus, Rufus nomine, Ciceronem *Allobroga* vo-

1. Tacit. *De clar. orat.*, 18. — M. Senec. *Contr.*, lib. vulg. III, 19.
2. *Tusc. quæst.* II, 1.
3. Quintil., XII, 10, 13.
4. M. Senec. *Suas.* 6.
5. Id. *Contr.*, lib. vulg. V, 34.
6. « *Declam. in Cicer.* P. Latronis aut potius Vibii Crispi, vel alterius non insulsi rhetoris antiqui, quam Sallustii esse creditur a viris doctis. » (Fabric. *Bibl. lat.*, I, p. 151.) — Cf. Sall. Lemaire, p. 497, chap. I.
7. *Suasor.* 7.
8. Plutarch. *Vit. Cic.*, sub fin. — Egger, *Exam. des hist. d'Aug.*, p. 148.

care solebat[1]. At nequidquam irruit repetito impetu in Ciceronis famam omnis scholasticorum declamatorum cohors, nequidquam inversum fuit, invalido paucorum prudentium auxilio, Romanorum in litteris judicium, duravit eloquentia Ciceronis, et semet sustinuit, et habuit, si non imitatorem, saltem amatorem sanum quemque.

§ II. *De nova eloquentia quæ per declamatores increbuit.*

Scholasticas exercitationes, quales essent, qualis scholastica omnis vita, supra quæsivimus : adhuc scholasticæ orationis censuram distulimus, quam adire jam in promptu est. Ad id autem bene noscendum et æque examinandum orationis genus, non nihil conferunt hæc superiora. Nam si modo constat (quod procul dubio esse arbitramur) quidquid sub Augusti ætatem ageretur in scholis, fictum esse et mendax et otiosum et ab omni rerum veritate remotum, quomodo nobis necessario non obversetur hoc præjudicium, haud fieri posse ut vera inde et sana et ad res agendas accommodata evadat oratio? Quid quærere possunt otiosi, nisi voluptariam quamdam eloquentiam, et inanes aurium delicias? Quod si quotquot postero tempore exstiterunt oratores ac scriptores, in scholis rhetorum declamaverunt, nonne liquet totam inde inficiendam esse eloquentiam? Quis se a tanta et tam late patenti contagione servare poterat integrum? Optimus quisque, aut sanis a præceptoribus erudi-

1. Juven., VII, 214. Fortasse ille est Satrius quidam Rufus, *cui fuit cum Cicerone æmulatio.* (Plin., *Epist.* I, 5, 11.)

tus, aut seriarum rerum assidua tractatione firmatus, communem labem eximiis virtutibus compensabit, omnino non effugiet.

Contra orationem Ciceronis exsultantem supra modum ac superfluentem Atticorum secta moverat imprudens litem, quæ in ipsos mox retorta est. Corruptam Ciceronis compositionem judicâverant, eamque postposuerant solutæ cuidam orationi ac minutis sententiis; quas ille ipse non improbabat, modo citra affectationem ponerentur[1]; si quid in iis nimium esset, deridebat[2]. Hi primi Ciceronis famam, sanitatis obtentu, lacessiverunt; jam adsunt, qui hanc laborantem et quassatam adorientur, corruptissimi. Ii quoque breves et acutas sectabuntur sententias, sed quam dissimili animo! Scilicet et Asiaticis communis erat minuta hæc et sententiosa oratio, quam quidem acerrime reprehendit, et ne in posterum crescat atque efflorescat, abominatur ipse Tullius[3]. Non valde dissentiebant illi et Attici: quum enim in *Dialogo de oratoribus* M. Aper in causam suam, mutari nempe cum temporibus formas et genera dicendi,

1. « Acutæ crebræque sententiæ ponentur, et nescio unde erutæ, atque in hoc oratore dominabuntur. » *Orat.*, 24. — Cf. *Brut.*, 83.

2. Ut Hegesiæ orationem. Cf. supr.

3. Cf. supr. — Hanc Atticorum importunitatem attendere videtur v. cl. J. V. Le Clerc : « Cicéron a plusieurs fois réfuté cette opinion qui commençait à se répandre (que son éloquence pleine et nombreuse était contraire à l'atticisme), et qui amena plus tard les petites phrases à la Sénèque, dont Cicéron paraît faire d'avance le portrait (*Orat.*, 71), et les pointes sans dignité et sans suite des déclamateurs des écoles. » (*Introd. à l'Orat.*).

insidiose traxit horum illiusque controversiam[1], eos omnes *etsi inter se specie differant*, *genere consentire, et eamdem sanitatem eloquentiæ ferre* optime demonstrat[2] Messala; quos ipse Aper in eadem serie et simili contemptu, ut *antiquos* amplectitur[3]. Tantum a Cicerone et Atticis procul aberat eloquentia.

Primum ab antiquis illis secessisse reperimus Cassium Severum[4], non tam veteris eloquentiæ tenacem quam veteris libertatis, disertum quidem causidicum, sed qui declamationibus vel cum periculo famæ suæ interesset. Quanquam haud ita fuit Cassii Severi culpa, neque unius aut alterius oratoris, quam omnium scholasticorum, si eloquentia *flexit ab illa vetere atque directa dicendi via*[5]. Testis est liber M. Senecæ, quo nobis quam simillima novæ istius eloquentiæ nascentis adumbrata est imago. Et enim, quæ post apud Senecam apparet, quam serius in *Dialogo de oratoribus* velut ex professo exponit M. Aper, ea jam in hoc libro tota continetur. Nec ipse ille rhetor ceteris conscius est : nam Ciceronem contra scholasticos et contra filios suos defendit. Quoties apud eum de veteribus oratoribus et novis incidit mentio, stat pro veteribus : novos non sine reprehensione nominat[6]. Quum enim scriberet, senex factus erat; et in ipsis utriusque eloquentiæ finibus situs, quibus vitiis re-

1. *Dialog. de orat.*, 18.
2. C. 25.
3. C. 19-21.
4. *Ib.* 19.
5. *Ib.* 19.
6. *Contr.*, I, 1, 4, 8.—II, 13.—*Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*

centior laboraret, videtur intellexisse; insanosque ætatis suæ et *fanaticos* declamatores, ut qui maxime insectatus est[1].

Mirum est quam aperte suam novorumque declamatorum industriam exponat in *Dialogo de oratoribus* M. Aper. Qui, quid in Cicerone vituperet, quid in æqualibus laudet, si consideremus, totam habebimus scholasticæ elocutionis artem, qualem jam eam in Controversiis et Suasoriis a M. Seneca collectis reperimus[2].

Ab eo nonnisi *duri et sicci*, nonnisi *horridi*, et *impoliti*, *rudes*, et *informes*, nonnisi *tristes* et *impexi*, *mœsti* et *inculti*[3] audiunt veteres; et declarat se in iis legendis vix *risu* aut *somno* temperare: tantæ sunt *sordes verborum*, tam *hians compositio*, tam *inconditi sensus*. Quod si quis sanitatem eorum prædicet, non sanitatem hanc firmam, sed *maciem* quæ *valetudinarium* nuntiet, esse contendit. Hanc Ciceroni laudem tribuit, quod *primus excoluit orationem*, *locos quoque lætiores attentavit*, *et quasdam etiam sententias invenit*, sed id in senectute, sed serius. Hoc est nimirum, quod in Cicerone displicebat Cestio, raritas sententiarum; inter quas tamen, si quæ corruptior et seni pœnitenda excidisset adolescentulo, hanc potissimum acerrimus ille Ciceronis contemptor sibi lucro apponebat[4]. Reprehen-

1. *Controv.*, lib. vulg. V, 34.—*Controv.*, II, *præf.*—I, 5, pass.

2. Non nobis in animo est ea omnia retractare, quæ optime disputavit amicus noster, A. Widal *in Taciti Dialogum* (1851), sed ea tantum obiter recolligere, quæ novam artem produnt.

3. 18, 20, 21, 23.

4. Notissimus est locus Roscianæ orationis, in *Oratore* ab

dit autem Aper in Cicerone *impeditissimarum orationum spatia*, judicatque eum *lentum esse in principiis, longum in narrationibus, otiosum circa excessus* : adde *multarum divisionum ostentationem, et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridissimis Hermagoræ et Apollodori libris præcipitur*. Nam id de universis antiquis dictum, mirum est, si non in Tullium præcipue torqueatur ; ideoque fortasse Cicero *tarde commovetur, raro incalescit*. Ipsam illam eloquentiam, quæ nuper nimis exquisita, et prope Asiatica quibusdam videbatur, tristem existimat M. Aper et horridulam : *pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur ; nihil excerpere, nihil referre possis*. Pergit insectando *quædam jam obliterata et olentia ; verba velut rubigine infecta , sensus tarda et inerti structura in morem Annalium compositos* ; *fœdam et insulsam scurrilitatem, non variatam compositionem, omnes clausulas uno et eodem modo terminatas*[1].

Omnia hæc, judice Apro, mutanda erant, et mutata sunt ; necessariumque visum est ut *voluptati* auditorum magis ac magis consuleretur. *Pervulgatis jam omnibus,... novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus fuit, per quæ orator fastidium aurium effugeret*. Nec apud scholasticos tantum hæc fuerunt usurpanda, sed ab his ad causidicos translata sunt. Qua enim alia jam ratione utendum erat apud eos judices, « qui vi et potestate, non jure et legibus cognoscebant? » *Invitandus* igitur erat et *corrum-*

ipso Tullio reprehensus. — Cf. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. III, 17.

1. C. 19-23.

pendus judex *aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum.* Hæc est qua delectatur non judex modo, sed etiam *affluens et vagus auditor, lætitia et pulchritudo sermonis.* Tota enim hæc eloquentia splendida est; quam ad exprimendam nulla M. Apro obversantur vocabula, præter *nitorem* et *altitudinem* et *cultum* et *ornatum* et *lætitiam.* Non *optimum* dicit, sed *pulcherrimum* dicendi genus. Id laudat, si *sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit.* Sic videlicet nanciscitur orator, quod Cicero non adeptus est, ut ex ipsius oratione aliquid *excerpere*, aliquid *referre* possis. Inde quam bene se habent juveniles commentarii! Tirones enim eloquentiæ *non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt, traduntque invicem, ac sæpe in colonias ac provincias suas scribunt*[1]. Testis est quem a M. Seneca librum filii poposcerant; sententiæ insunt breves, acutæ, nitidæ. Argumentorum incuriosi, quæ vel apud judices *cursim* peragerentur, morabantur in sententiolis[2].

In hanc novam eloquentiam invehitur, apud eumdem *Dialogum*, Vipstanus Messala, eamque et *non virilem*, et *histrionalem*, et *meretriciam* vocat: jure queritur ab his *circumcisam esse et amputatam* eloquentiam, et *in angustas sententias detrusam*[3]. Quis autem seriam hanc et viro dignam contendat

1. *Dial. de orat.*, pass.

2. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.*—*Controv.*, I, *præf.* : « Nec his argumenta subtexam.... quum vos sententias audire velitis.... »

3. *Dial. de orat.*, 26, 32.

eloquentiam, in qua nihil causæ detur, omnia auditori, veritati nihil, omnia aurium voluptati. Siccine oratorem sibi fingebat Tullius ? Qui rem æstimare velit, ei videbitur nullam ferme hic rerum curam haberi, elocutionis quam maximam, et etiamsi minus sit corruptum dicendi genus, admodum nimiam[1]. Hanc tamen novam elocutionem, cujus, ut vidimus, propria forma ac peculiaris character quærebatur *nitor* et *cultus*, paulo attentius excutere libet, ut oppositis quasi frontibus hæc et Ciceroniana conferantur.

Jam primum manifestum est, a novis oratoribus id præcipue affectari, ut videantur novi; torquent orationem, ex qua aliquid inauditum eliciant et inexspectatum; ut alia dicant, atque ea quæ dicta sunt, non morantur, sed ut aliter[2]. Inde fit ut *nihil jam proprium placeat, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset*[3]. Sic demum *belle, non vulgato genere* dicitur, sic constat *verborum non vulgarium gravitas*[4].

Sequitur quod verba *antiqua* aut *obsoleta*, verba *sordida* et *quotidiana* fugiebant[5]. Illud in primis præclarum erat, ut *nihil nisi culte, nisi ornate* diceretur, ut quæcumque esset, *valeret cultu oratio* : ideo, quidquid vetustum aut sordidulum videbatur, reformidabant : itaque si quis inter scholasticos scholasticus haberi nollet, ille res sordidissimas ex

1. Quintil., VIII. Procem.
2. « Nove sumpsit ab omnibus bene dicta. » *Controv.*, I, 4.
3. Quintil., VIII. Procem., 22.
4. M. Senec. *Controv.*, I, *præf.* — *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*
5. *Ibid.*, lib. vulg. IV, 25.— *Exc. Controv.*, IV, *præf.*

consulto dicebat, vel verba *quædam antiqua et a Cicerone dicta*[1]. Quod si culto eorum sermoni obesset *inopia sermonis Latini*[2], haud omittebant periculosum Flacci consilium sequi, et

Signatum præsente nota procudere nomen[3];

alioquin captabant verba, et contra naturam suam ponebant et invertebant[4]. Unde haud scio an, quum Messala diceret P. Latronem disertum esse *sua lingua*[5], dixisse voluerit, qua lingua uti deceret scholæ hunc magistrum, id est *scholastica*.

Plurimum autem operæ impendebant ut brevem et recisam præstarent orationem, et strictissimi sensus latissimam significationem habere viderentur. Si de quadam sententia Thucydidis a Sallustio latine translata et etiam post Thucydidem facta breviore mentio incidisset, extemplo plaudebant omnes et mirabantur, solo reclamante Tito Livio, sed non sine invidiæ suspicione[6]. Bene erat, si eadem paucioribus verbis, salvo sensu, potuissent dici. Sed quoties excedebat sensus brevissimas istas sententias[7]! Quæ quum inde aut obscuræ fierent aut

1. *Exc. Controv.*, III, *præf.* — *Exc. Controv.*, IV, *præf.* — Vetustatem quoque in Ciceroniana lingua reprehendit L. Seneca, ap. A. Gell., XII, 2.

2. *Exc. Controv.*, III, *præf.*

3. « Quod nunc vulgo *Breviarium* dicitur, olim, *quum latine loqueremur, summarium* vocabatur. » Senec. *Epist.*, 39. — Cf. Funccium, *De imminente Lat. ling. senectute*, c. XI : *De Senesc. Lat. ling. idiotismis.*

4. Senec. *Epist.*, 100, 4.

5. M. Senec. *Controv.*, II, 12.

6. *Controv.*, lib. vulg., IV, 24.

7. Senec. Rhet. *Controv.*, I, 1 : « Diocles Carystius illum sensum a Latinis jactatum dixit brevissime, rarissimo genere, quod sententia verbis consumatur. Nec enim paucioribus potest. »

plurimæ numero, sive rebus nubem prætendebant, sive diffusam ostentabant brevitatem.

Cum exiguitate ista compositionis convenit exaggeratæ quoddam eloquentiæ studium, e declamationibus ortum, quod quidem proprium declamatoriæ consuetudinis indicium est. Nam fere accidit ut qui de falsis rebus agunt, vehementius et acrius, quam qui de veris, agant : urgent enim se et stimulant, ut sentire videantur, quod sentire non possunt. Quid si, quæ propositæ sunt declamationes, habent ipsæ aliquid insolens ac violentum? Quæ ampullæ, quæ sonantium verborum turba, quæ exquisitorum et contra naturam concitatorum affectuum ostentatio respondere materiæ videbuntur? Nolimus ergo mirari, si vel quod verissimum est, et quod in altissimo animi recessu sentiunt isti declamatorum alumni, falsi apud eos semper aliquid mendacisque redolet[1]. Ex eo more omnia extra naturam et veritatem amplificandi, exstitit ille oratoribus scriptoribusque ejus ætatis communis veluti *tumor ac supervacuus strepitus*, quem jam apud suos declamatores criminatur M. Seneca, postea Quintilianus[2]. Sed omnes ii se fortes sic esse et validos arbitrabantur : qui, ut optime dictum legimus in *Dialogo de oratoribus*, *non pugnabant, sed rixabantur, ipsis etiam, quibus utebantur armis, incompositi, et studio feriendi plerumque dejecti*[3].

Haud absimili intemperantia evecti ultra terminum, quum scirent non nihil esse oratori et poetæ

1. Cf. Nisard, *Poëtes lat. de la décad.*, I, p. 442.
2. *Controv.*, lib. vulg. III, *præf.* — Lib. vulg. V, *præf.* — Quintil., II, x, 6.
3. *Dial. de orat.*, 26.

commune, ad id devenerunt, ut audaciam illius ab hujus licentia haud discernerent. Adhibuit, cultus gratia, eloquentia eorum poeticum decorem; affluxeruntque in orationes, haud secus atque in poemata, schemata omnis generis et corruptissimæ translationes[1].

Veniamus tandem ad eam, qua omnis jam eloquentia constitit, luminum vel *sententiarum* frequentiam. Docet nos Quintilianus vetus illud vocabulum, quo designabantur γνῶμαι, a novis oratoribus ad usum suum esse detortum. Quæ vocabuli inflexio haud scio an statim post P. Syrum facta sit; cujus in *Mimis* quum permultæ essent γνῶμαι, et eæ quidem uno expressæ iambico versu, acutæ et argutæ, dicti sunt *Publianæ sententiæ*[2] breves illi sensus, præcipue in clausulis positi, si modo cum quodam lumine terminarentur. Quorum ubi studium increbuit, nihil nisi sententias amavit auditor, nihil nisi sententias orator summa opera quæsivit. Quantum abundabat sententiis, tanti æstimabatur oratio. *Turpe ac nefas prope fuit respirare ullo loco, qui acclamationem non petierit : inde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti*[3]. Quid enim necesse erat, si quidem sententiæ singillatim excerpendæ essent, et commentariolos ditaturæ, quid erat necesse ut ex intimis rerum penetralibus exirent? Si placerent, si moverent plausum, si mox circumferrentur, satis superque erat. Quamobrem

1. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.* et pass. — L. Senec. *Epist. ad Lucil.*, CXIV, 1 et 2. — Quintil., VIII. Procem., 22 ; *id.*, IX, 3 : « Pæne jam quidquid loquimur, figura est. »
2. M. Senec. *Controv.*, lib. vulg. III, 18, 19.
3. Quintil., VIII, v, 13.

præposteri homines non quærebant in oratione sententias, sed sæpe oratione indigebant, in qua sententias quasdam collocarent. Sectabantur enim sententias omni omisso argumento, quas inventas in officina memoriæ suæ recondebant, prima statim occasione depromendas velut extemporales. Vix credibile id esset, nisi testis afforet Fabius : « In cogitando, nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid, quod ultro se offerat, pluribus sæpe diebus exspectant.... Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant, quibus aliquid diserti subjungendum sit.... Unde fit ut dissoluta et ex diversis congesta oratio cohærere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerant[1]. » Declamationum actores hic perstringit Fabius : verum istius vitii nihil in ceteros derivatum esse, quis contendet?

Talem eloquentiam primus M. Seneca, quo progressura esset, animadvertit ideoque repudiavit, sed timide. Die quadam, senior jam, ductus est a filiis apud unum e recentioribus iisdem et corruptissimis declamatoribus, cujus *omnia ad ultimum tumorem perducta* judicat; additque : « Non sum e judicibus severissimis qui omnia ad exactam regulam redigam. Multa donanda ingeniis puto : sed donanda vitia, non portenta sunt[2]. » Id nimirum, excepto Mela, probabant filii. Iisdem alibi dicit : « Volebam vos experiri, non adjiciendo judicium meum, nec separando a corruptis sana : potuisset enim fieri, ut vos illa magis laudaretis, quæ insa-

1. Quintil., II, 11, 3 sq.
2. *Controv.*, lib. vulg. V, *præf.*

niunt; et nihilominus potest fieri, quamvis distinxerim [1]. » Sed ab eorum juvenili inexperientia ad suam maturitatem provocat.

Fuit tamen horum filiorum unus, qui adhæsit isti eloquentiæ, eamque excellentia ingenii sui, et *dulcibus*, quæ apud eum frequentissima sunt, *vitiis* [2] commendavit ac propagavit, L. Seneca philosophus. Notissima est illa oratio circumcisa et deliberato trunca, quam C. Caligula *arenam sine calce* optime vocabat [3]; quam sagacissima censura Quintilianus et multi alii notaverunt; quæ tamen etiam a censoribus propter eximium acumen veniam abstulit. Ipse L. Seneca, in tribus *ad Lucilium Epistolis,* quid de eloquentia sentiat, vel sentire sibi videatur, exponit. Ex his, quid apud eum, quid apud ejusdem generis scriptores vitii argui possit, apparet. Prædicat enim longe aliam esse, quæ oratorem et quæ philosophum deceat oratio : sensim deflectit ad reprehensionem facundiæ oratoriæ, id est Ciceronianæ (nam, etiamsi tacetur Ciceronis nomen, memoriam saltem adesse scribenti manifestum est); eamque objurgat *assidentem pusillæ rei, verbis* [4], et multum *habentem inanis et vani, plus sonantem quam valentem.* Sed brevi imprudens tradit se ipsum : « Quid quod ne *voluptatem* quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus.... Quid enim quis discere, quid imitari velit?... Cicero quoque noster gradarius fuit; Romanus sermo magis se circumspicit (*quam*

1. *Suasor.*, 1.
2. Cf. Quintil., X, I, 125 sq.
3. Sueton., *Cal.*, 53.
4. *Epist.*, C, 10.

Græcus), et æstimat, præbetque æstimandum[1]. » Siccine, dicet aliquis, o philosophe, prædicas et philosopho præcipis quamdam dicendi tarditatem, ut recidat in captationem aurium et ostentationem? quid pejus facient oratores? Imo non stat per severum illum dicendi magistrum, quominus interdum auditori fucum faciat vel philosophus : « Illud quoque magnum est, primo aspectu oculos occupasse, etiam si contemplatio diligens inventura est quod arguat. Si me interrogas, *major ille est qui judicium abstulit, quam qui meruit*[2]. » Advoca quemvis corruptorum istorum declamatorum, non magis lasciviet quam stoicus ille.

Melior tamen est censor quam doctor : nam si quæremus ab eo, quid de scriptoribus ætatis suæ sentiat, sanius judicabit, ita tamen ut dubium videatur, an sciat quid velit. Non enim optime secum ubique convenit : apud alios quod ipse sequitur reprehendit, quod fugit laudat; modo Ciceronis compositionem extollit, dum deprimere A. Pollionem studet, modo eamdem elevat, dum ad se respicit[3]; brevitatis ad obscuritatem usque amantissimus, obscuram Sallustio brevitatem vitio vertit[4]. Quanquam nemini dubium est quid reipsa maxime probet, *sensus coactos in sententiam*, genus

1. *Epist.*, XL, 5 sq.
2. *Ibid.*, C, 3.
3. *Ibid.*, C, 6 : « Compositio ejus.... pedem incurvat lenta et sine infamia mollis.... Omnia apud Ciceronem desinunt, apud Pollionem cadunt. »—*Epist.*, CXIV, 15 : «Quid de illa in exitu lenta, qualis est Ciceronis, devexa et molliter detinens.... »
4. *Ibid.*, CXIV, 16.

dicendi *recisum, structum, hujus recentis politurae*[1]. Sed, aliud agens, ipse facit corruptelæ istius confessionem. Notat enim *captata verba, et hujus sæculi more contra naturam suam posita et inversa*[2]; notat *abruptas sententias et suspiciosas, in quibus plus intelligendum sit quam audiendum*[3], quas quidem ingeniosissime vocat *angustias inanes*[4]; notat nimiam poeticarum translationum licentiam, et *sonantium ac poeticorum verborum* affectationem[5]. Horum omnium vitiorum causam sagaciter dijudicat, studium nempe *voluptatis* et *novitatis*. Quando enim primum eloquentia, non apud Romanos modo, sed apud omnes gentes necessario quodam fato degeneravit? Respondet L. Seneca : « Quum animus cessit voluptati, quum in medullas nervosque descendere deliciæ.... quum assuevit animus fastidire quæ ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt, et quod novum est quærit[6]. » Hæc si semper menti infixa et cogitationi habuisset, poterat fortasse L. Seneca, pro suo ingenio, retardare labentem eloquentiam, quam contra exemplis præcipitem dedit : nam summorum virorum errores sequitur ac supergreditur statim imitatorum stultum pecus.

1. *Epist.*, C, 4.
2. *Ibid.*, C, 4.
3. *Ibid.*, CXIV, 1 et 10.
4. *Ibid.*, C, 4.
5. *Ibid.*, CXIV, 1, 2, 14.
6. *Ibid.*, CXIV, 10, 22.

§ III. *De traducta ad poetas declamatoria eloquentia.*

Ubi declamatio desiit esse præparatio ad forum, et facta est ars quædam peculiaris, ad rhetores confluxerunt, apud rhetores plurimis annis commorati sunt multi, quibus, nulla proposita forensi ambitione, declamare supervacaneum erat : si quis famam aliquam ingenii concupisceret, declamabat. Non poterant poetæ quin hanc famæ viam adirent. At enim recitationes satis erant. Quasi vero quidquam esset satis ei, qui vult *volitare vivu' per ora virum.* Enutriti fuerant apud grammaticos et rhetores poetæ : quid obstabat, quominus iis adhærerent diutius? Illic quoque reperiebant, quæ menti eorum placent, mendacia. Alliciebantur præcipue Suasoriis, quoniam admittebant sæpius descriptiunculas, nitidas explicationes, poeticos omnes locos, earumque argumenta latum vagabundo ingenio dabant spatium.

A declamatoribus tamen se removerunt, quantum potuerunt, Latinæ camenæ principes, Flaccus et Virgilius. Neque enim verisimile est consenuisse apud eos Flaccum, qui, dum declamarent Romæ amici, Præneste Homerum diurna et nocturna manu versatum relegebat[1]; certumque est iis haud sero vale dixisse Virgilium :

Ite nunc, inanes, ite, rhetorum ampullæ,
Inflata rore non Achaïco verba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique Varroque,

1. Ep. I, 2, 1 sq.

Scholasticorum natio madens pingui,
Ite hinc, inanis cymbalon juventutis[1].

Primus scholastica contagione infectus est dulcissimus poeta, et qui, natura negligens et amantissimus sui, si severiores sortitus esset magistros, ipsi par Virgilio fieri potuisset. Quam assidue audierit Ovidius Porcium Latronem, quam constanter adhæserit Arellio Fusco, nobis jam notum : erat quoque amicissimus declamatori Gallioni, cujus *tinnitus* ridentur in *Dialogo de oratoribus*[2]. Ipse etiam, teste M. Seneca, « quum studeret, habebatur bonus declamator;... oratio ejus jam tum nihil aliud poterat videri, quam solutum carmen.... Declamabat autem Controversias, sed non nisi *ethicas*[3] : libentius dicebat Suasorias : molesta illi erat omnis argumentatio[4]. » Ideo quædam argumenta ei et declamatoribus sunt communia[5]; ideo declamationum plurima vestigia apud eum reperire

1. Virg. *Catal.* VII.

2. 26. — Cf. Ovid. *Pontic.* IV, El. un.

3. Neque apud M. Senecam, neque apud Quintilianum reperimus cujus modi sint *ethicæ* declamationes. Apud rhetores posterioris ævi videmus plurima declamationum esse genera : « Si persona et res sit miseranda, erit ἠθικόν; si indigna, atrox, παθητικόν; si argumentis approbanda, ἀποδεικτικόν; si proferenda, sed cum summa dubitatione, διαπορητικόν. » Cur. Fortunatianus, *Ars rhetor.* Capperonn., *Ant. rhet. Lat.* — Sulpicius Victor (*Instit. orat.*) discernit tantummodo *ethicum*, *patheticum*, *judiciale*. Cf. Capperonn.

4. M. Senec., *Controv.*, II, 10. — « Je conçois le goût qu'Ovide « avait pour la déclamation. Les sujets de ces exercices étaient « des récits ou des fictions extraordinaires qui semblent par« fois se rapprocher des récits fabuleux des *Métamorphoses*. » (S. M. Girardin, *Essais de litt. et de mor.* I, p. 462.)

5. Cf. quæ meminit Juvenalis (VII, 168), et Ovid., *Métam.*,

est. Mitto quæ P. Latroni mutua sumpserit[1]; mitto quod nimium exquisiti et longius tracti *Metamorphoseon* transitus scholam redolent, in qua nitebantur ut *ipse transitus efficeret aliquam utique sententiam*[2]; mitto quod, quum versus facit, haud secus atque quum declamaret, *sine ordine per locos discurrit*[3]; mitto quod, declamatoria usus loquacitate, repræsentavit carminibus suis eloquentiam Arellii Fusci. Quum apud eum sanitatem excludat nitor, etiam Cestio *corruptus* videbatur, a quo dictus est non inepte « hoc sæculum amatoriis non *artibus* solum, sed *sententiis* implevisse[4]. » Eum *ad fingendas sententias memoria tenendum esse* aiebat unus ex declamatoribus[5]. Ejus enim erat ætatis, qua sententiarum frequentia prima oratoris laus haberetur. Quas ipse adeo persequebatur, ut eas etiam repetendo corrumperet, et *nesciret, quod bene cessisset, relinquere*[6]. Quantum autem ab Horatiana et Virgiliana severitate judicii recessit Ovidius! « Non ignoravit, inquit M. Seneca, vitia sua, sed amavit.... Aiebat enim decentiorem faciem esse, in qua aliquis nævus esset[7]. » Non aliter Quintilianus[8].

VII, 276 sqq. — *De armorum judicio*, cf. M. Senec., *Controv.*, II, 10; Ov. *Métam.*, XIII, init.; Patin, *Trag. gr.* I, 394.

1. *Controv.*, II, 10.
2. Sic Quintil. (IV, 1, 77) judicat.
3. M. Senec., *Controv.*, II, 10.
4. *Exc. Controv.*, III, 7.
5. *Controv.*, lib. vulg. V, 33.
6. *Ibid.*, lib. vulg. IV, 28.
7. *Ibid.*, II, 10. Cf. quam narrat de ea re historiunculam, Ovidii amicorum judicia provocantis, et eos potissimum versus, qui vituperantur, æstimantis, *Exc. Controv.*, II, 2.
8. « Nimium amator ingenii sui... » (*Inst. or.* X, 1, 88, 93, 98).

Inter declamatores quoque versati sunt æquales Nasonis Abronius Silo, Albinovanus Pedo, Cornelius Severus[1] : quos, quoniam nihil eorum, aut pauca supersunt, præteribimus. Quid de Seneca, qui dicitur, Tragico? Nonne et illum declamationibus interfuisse liquet, sive eum esse eumdem ac Philosophum (ut verisimile est) putaveris, sive ejus tantum tragœdias, tanquam alterius auctoris respicias? Nonne hoc totum declamatorium est opus? Est etiam ubi primam suasoriam earum, quæ memoratæ sunt a M. Seneca, videtur meminisse[2]. Quid de A. Persio? Disputator quidem videtur magis quam declamator. Sed utrumque sæpe conveniebat, ut vidimus. Quum vero non vacet in singulis morari, eligamus duos, et præstantissimos, et declamatoriis, ut qui maxime, vitiis inquinatos, Lucanum et Juvenalem.

Declamavisse Lucanum, etiamsi veterum testimonia desint, cui non apparet? Ejus apud domum velut hæreditaria erat laus declamatoria : non Annæus fuisset, si non declamasset. Neque habebat modo avum M. Senecam rhetorem, avunculum L. Senecam, sed et patrem M. Annæum Melam, cui non sine effuso gaudio propter singularem eloquentiæ declamationisque amorem pater suus gratulatur[3], et matrem Aciliam, Acilii Lucani oratoris filiam. Educatus fuit Romæ, nec potuit non audire grammaticos illos ac rhetores quibuscum pater vitam agebat. Hanc veluti declamatoriam necessitu-

1. *Suasor.*, 1, 2.
2. *De Oceano.* Cf. Herc. œt., v. 414, *Med.* 375.
3. *Controv.*, II, *præf.* et pass.

dinem respicere videtur Quintilianus, a quo optime judicatur *ardens, concitatus, sententiis clarissimus, oratoribus magis quam poetis annumerandus*[1]. Neque id tantum ob numerosas conciones dictum est, quibus scatet ejus poema, sed ob totum opus, quale est. Quis non agnoscat ubique communes scholasticis locos? convicium sæculi, quod minime demonstrat inesse auctori virtutem[2]; laudes paupertatis ac mediocritatis, quæ nec avaritiam excludunt, nec ambitionem? Quis non agnoscat descriptiuncularum amorem, sententiarum affectationem, recisæ ac truncæ orationis studium? Versus ille, sæpissime repetitus, qui producta cæsura velut in duas partes divisus est, nonne scholasticos sensiculos reddit, a L. Seneca vulgatos?

In se magna ruunt : lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
Commodat in populum terræ pelagique potentem
Invidiam Fortuna suam[3]. . . . .

Hanc enim versus formulam, quantum potuit, usurpavit Lucanus, jam ante ab Ovidio laudatam et amatam[4], nec ignotam Maroni, at minus tamen intemperanti ardore prolatam.

Ad vivum expressit Bolœus noster Juvenalem, quum dixit :

1. *Inst. orat.*, X, 1, 90.
2. Compone cum fragmento quodam Fabiani *De bellorum civilium causis* (*Controv.*, II, 9) versus Lucani, I :

. . . . . Suberant sed publica belli
Semina. . . . .

3. *Phars.* I.
4. Cf. M. Senec., *Controv.*, lib. vulg. III, 16.

Juvénal, élevé dans les cris de l'école,
Poussa jusqu'à l'excès sa mordante hyperbole.

Juvenalem enim constat *ad mediam fere ætatem declamavisse*[1]. Ipse talem originem non recusat, imo jactat : nam quum reputat secum an ausurus sit se poetis ætatis suæ adnumerare, Quidni? inquit,

Et nos ergo manum ferulæ subduximus, et nos
Consilium dedimus Syllæ, etc.[2]

Sæpe declamatorum, sæpe rhetorum meminit, et erga eos solos temperat satiricæ venæ suæ, utpote cui gratus obstet animus. Eum si diligenter consideres, plurima invenias declamationum in Satiris vestigia. Quum de Pellæo juvene loquitur, in versum accommodat solutam quamdam declamatoris sententiam[3] : item haud dubie de Annibale, item de multis. Sed quid ita refert singulas notasse apud eum unius aut alterius declamationis imitationes, quum nihil sit quod non eas redoleat[4]? Hanc obscuritatem genuit brevis ac recisi sermonis affectatio, et nescio quæ in emittendis verbis parcimonia ; has verborum ampullas, non ardens indignatio, sed scholastica consuetudo pro-

1. Sueton? *Vit. Juven.*
2. *Sat.*, I, 15.
3. *Suasor.*, 7 : « Alexander orbi magnus est, Alexandro orbis angustus est. » — Juven., *Sat.* X :

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto in limite mundi.

Cf. Senec. *Epist. ad Lucil.* XCIV, 60. — *De Benef.* I, 13.
4. Cf. Nisard., *Poëtes lat. de la décad.* : *Juvénal ou la déclamation.*

tulit; hunc rigorem veluti ferreum, hoc supercilium nulla Horatiani leporis amœnitate temperatum fecerunt rhetores isti, qui jocos judicabant eloquentia sua indignos et scurrilitatis nomine infamabant [1].

Necesse erat, ut quæ apud declamatores eloquentia pervulgata esset, eadem in poetas redundaret; et quemadmodum a Cicerone deflexisset oratio, sic a Virgilio carmina deflecterent; quemadmodum illa in L. Senecam, sic in Lucanum hæc reciderent. Non tantum eadem novitatis affectatio fuit, eadem exaggerati altius sermonis intemperantia, idem argutarum sententiarum aucupium, sed formula quædam quæsita est versus non plena, non *mollis ac faceta*, sed rigida et infracta, et circumcisis istis orationis solutæ sensibus simillima.

§ IV. *Conclusio.*

Ex iis, quæ disseruimus, quid constet recolligere jam in manu est.

Quare pessum iverit statim post Ciceronem Romana eloquentia, multæ sunt causæ, quæ ne veteres quidem fefellerunt : corrupti primum mores, et eversa etiam in judiciis libertas; nulla proposita eloquentiæ præmia; desidia juvenum, qui bonas artes deserunt, malas inscientia præcipientium sequuntur; « fatum denique quoddam, cujus maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut, ad

1. Tac., *Dial. de Orat.* 22.

summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderant, relabantur[1]. »

Degenerasse autem eloquentiam, vel id unum demonstret, quod ars nimia facta sit : at quonammodo intra justos terminos se tenuisset? Jam pene omni omisso, qui quidem serius esset, orandi fine, ars per se stetit, ars culta est, non alius rei gratia, atque artis ipsius[2]. Inde erupit mos declamitandi, necessitas declamitandi : quod enim faciebat quisque, non facere, pro confessione pusilli ingenii fuisset. Quæ potest esse inter otiosos eloquentia, fuit, fucata nempe et histrionali studio deformata : cujus unicum erat momentum voluptas; unicus finis, plausus. Plausum enim et admirationem inanis cujusque ac delicati auferebant, retinentque nunc etiam temporis, qui simile dicendi genus amplexi sunt.

Imo vidimus non stetisse intra scholam declamatoriam istam eloquentiam; omnes rapuit, omnes ad se traxit. Nemo communem pestem ex omni parte effugit, ne qui videbat quidem eam, ut L. Seneca, ut Petronius, ne qui abominabatur quidem, ut Quintilianus, ut Plinius Junior. Ii enim ipsi, qui maxime Ciceronem admirabantur, et volebant imitari, imprudentes obsequebantur scholasticis et L. Senecæ, haud secus ac Lucano Statius, qui se optima fide alumnum profitebatur Maronis.

1. M. Senec., *Controv.*, I, *præf.* — Cf. L. Senec., *Epist.* CXIV; *Dial. de Orat.*; Quintil., pass.; Petron., init.

2. « La déclamation ne fut plus une manière de se préparer à « l'éloquence, puisque l'éloquence n'était plus de mise. La dé- « clamation cessa d'être un moyen et devint un but. » (S. M. Girardin, *Essais de litt. et de mor.* II, p. 459.)

Fuerunt profecto post Ciceronem præstantissima ingenia, et quæ tanto viro vel æquiparare, vel si placet, præponere queas. Neque hìc dè ingeniorum amplitudine atque ordine disceptatio est, verum de pura et sana et integra eloquentiæ specie. Nemo negat esse aliquid in Ciceroniana compositione magnificentius ac redundantius. Sed consideres hanc eloquentiam cum suis mendis (quid enim est omnino emendatum ac perfectum, quod humanum est?); quanto videbitur tibi cultu modestior, ornatu simplicior, toto denique habitu austerior, virisque et gravissimis viris dignior, quam ea quæ per scholasticos increbuit, per L. Senecam illustrata ac propagata est[1]? Si quid enim in illa redundat et effluit, satis manifestum est id nonnisi incautum oratorem præteriisse; hæc contra consulto exquisita est, nec desistit se circumspicere, et velut in speculo mirari, quam pulchra est! Dicas illinc matronam prædivitem, munditiis et insigni ornatu, qui dignitati suæ respondeat, gaudentem ac gloriantem; hinc meretricem, quæ et pictis vestibus et auro et gemmis et saltatario incessu id agit, ut

1. Videsis quam de utraque ferat sententiam clarissimus philosophus idem et scriptor egregius, Baco, *De Augm. scient.* I, 27-30 : « Neque temere damnandum est, si quis philosophiæ obscura et aspera verborum splendore illustret et expoliat....... Verum tamen hujusce rei excessus juste contemnitur....... Aliud totum in eo est, ut verba sint aculeata, sententiæ concisæ, oratio denique potius versa quam fusa....... Tale invenitur in Seneca effusius, in Tacito moderatius. Verum hoc ipsum mediocribus ingeniis gratum esse solet, adeo ut dignitatem quamdam litteris conciliet; attamen a judiciis magis limatis merito fastiditur, quum sit verborum etiam et eorum concinnitatis aucupium quoddam. »

libidinem irritet. Illìc enim ars apparet, velut aliud agens; hìc se præbet ipsa oculis contrectandam. Quod si optima ars illa est, quæ latet, si optimus ille orator ac scriptor est, qui oratorem scriptoremque dissimulat, virum præfert; quis contendet magis in Cicerone quam in Seneca se ostentare artem, se prodere artificem? Utra autem sanior et salubrior est eloquentia, quæ eo peccat, quod numeris ac modis supra modum intenta producit interdum nimio plus orationem, ac verba non satis parce dispensat; an quæ, dum læta et nitida sine fine, sine intermissione aucupatur, res gravissimas tenuissimis deliciis frangit, corruptissima quæque sibi permittit, ut splendeat, continuos assuit purpuræ panniculos, et fastidium gignit pessimum, voluptatis fastidium?

INDEX.

E TYPIS CH. LAHURE (OLIM CRAPELET),
via dicta Vaugirard, 9, juxta Odeum.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. Non. Septemb. ann. MDCCCLII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Permis d'imprimer,

Paris, le 2 septembre 1852.

Le Recteur de l'Académie de la Seine,

CAYX.

